BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIX
G
45
NAPOLI

XLIX
GG
9

XLIX
GG
9

ARCANA SOCIETATIS IESV

Publico bono vulgata

Cum Appendicibus utiliſsimis.

M. DC. XXXV.

SOC. IESU EX BIBL. MAX. COLL. NEAP. 1760
SHI

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

TYPOGRAPHVS LECTORI S.

SOCIETATEM IESV ab omnibus cognoſci publicè intereſt, ut ex illius inſtitutis, conſiliis, gubernatione, actis & probatis ſolidè judicari poſſit, quo loco haberi debeat. Multi in ea ſententia ſunt, nihil hac Societate eſſe vel ſanctum magis & religioſum, vel magis utile & neceſſarium Eccleſiæ Dei propagandæ. Alij in alia omnia eunt, & multa in SOCIETATIS inſtitutis, multa in *Sociorum* praxi obſervant, quæ partim ſuſpecta

habent, partim exoſa. Quibuſdam eo duntaxat nomine probatur Societas, quòd præ aliis Religioſis ordinibus ſummo cum ardore Eccleſiæ hoſtes petere videatur, & ab iisdem præ aliis peti. Adeò ſæpè non tantùm ſuo inſtituto, ſed & eorum, quibus ob ſtrenuam Religionis Catholicæ propugnationem inuiſa eſſe videtur, odio commendatur.

Quidam omninò hîc ſuo judicio fruuntur, quidam alieno. Pauci in *Arcana Societatis* penitiùs inquirunt, & ſine affectu expendunt, quod ſit ejus inſtitutum, quis *Sociorum* ſcopus, quæ vita, qui mores, quæ conſilia, quæ per totam Europam molitiones. Vt verò Lector Catholicus habeat,

unde

unde ſine affectu judicium ferre poſſit, hæc *Miſcella* vulganda duximus. Talia enim ſunt, quæ nec ab adverſariis Eccleſię Catholicæ profecta, nec gratis conficta, ſed vel Ieſuitas ipſos Authores habent, ut *Inſtructio Secreta*, & *P. Marianæ* obſervationes, vel Catholicos cæteroquin Scriptores, quibus nihil minus cordi fuit, quàm ſectariorum commodis hac in parte velificari. Id res docet, & argumentum dictorum, & character ſermonis, & quicquid hîc expreſſum vides. Ne ſyllaba quidem vel adjecta, vel expuncta, vel truncata. Imò quamvis licentia ingens, ut molliſſimè loquar, in applicandis S. Scripturæ dictis pluribus in locis occurrat, tamen ſine

caſtratione ulla Authorum placita exſcribenda judicavimus. Tu, Lector Chriſtiane, quisquis es, lege & judica, ſine affectu, quod tibi Deus, quod conſcientia, quod res dictabit, & quod dicta ac probata merebuntur.

INDEX

INDEX TRACTATVVM HOC VOLVMINE *contentorum.*

Inſtructio ſecreta pro Superioribus Societatis Ieſu. pag.1
Fortunij Galindi Cantabri De Cauſis publici erga Ieſuitas odij diſputatio. pag.33
1. *Auguſtini Ardinghelli* paradoxa Ieſuitica h.e. Impiæ, Nefariæ, & Peſtiferæ Ieſuitarum Germanicorum ſententiæ adverſus omnes Religioſos ordines. Quarum omnium neceſſaria, ſolida & modeſta refutatio continetur in congeminata voce Turturis *Dominici Gravinæ* Theologi Dominicani Neapoli nuper edita Anno M. DC. XXXIII. 58
Bernardini Giraldi Patavini pro Senatu Veneto Apologia, ſive de Juſtitia Decreti, quo Senatus Venetus adoleſcentes ditioni ſuæ ſubditos ad Ieſuitarum ſcholas accedere interdixit: Deque conditionibus, quibus Ieſuitæ reditum ad Venetos videntur impetrare poſſe. 101
Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Principis Domini *Cardinalis & Archiepiſcopi Pragen-*

ſis, Legati nati, &c. Iudicium & Cenſura Bullæ à Patribus Societatis Cæſari oblatæ, Cæſareâ ac Regali auctoritate firmandæ, pro erectione Carolo-Ferdinandææ Academiæ. pag. 171
VI *Iohannis Marianæ* Societatis Ieſu Theologi libri de Regimine Societatis Caput VI. De Studiis. 193
VII. *Danielis Hoſpitalij* ad Reges Principesque Catholicos Conſultatio, De cauſis & Modis conſervandæ & amplificandæ Societatis Ieſu, ut perpetuò durare, deque Eccleſia Dei & Regnis ac Rebusp. Chriſtianis præclarè ſemper mereri poſſit. 204.
VIII. *Deliciarum Ieſuiticarum* Specimina. 254
IX. *Teſtimonia* de Societatis Antiquitate, Ignatij Loyolæ Sanctitate, Patrum Societatis Oeconomiâ. &c. 339

INSTRV-

INSTRVCTIO SECRETA PRO SVPERIORIBVS Societatis Ieſu.

CVM *Chriſtianus Dux Brunſuicenſis, qui ſe Halberſtadienſem Epiſcopum ferebat, Padernornæ ſuperioribus annis Jeſuitarum Collegium diripuiſſet, Bibliothecam eorum cum ſcriniis literariis dono dedit Patribus Capuccinis: qui in ſcriniis Rectoris* Secretam *iſtam* Inſtructionem *invenerunt. Quod ipſum in Pragenſi, Ieſuitarum Collegio contigiſſe, homines fide digni teſtantur. Nec vero cuiquam dubium eſſe po-*

teſt, qui Ieſuitis paulò familiariùs utitur, quin Primores Societatis huiuſmodi occultis monitis à Generali Præpoſito inſtruantur, cùm quæ in iſto mãdatorum libello monentur, paßim Ieſuitas factitare conſtet. Plurimùm verò Societatis Regulis, conſtitutionibus & typo deſcriptis Inſtructionibus ea adverſari certũ eſt: ut haud difficulter fides fiat, pleroſque Superiores Jeſuitarum (in nonnullos enim talis non cadit ſuſpicio) duplicem ut veſtem, ſic etiam Regulam habere, aliam domeſticam & privatam, aliam forenſem & publicam, Introrſum turpes, ſpecioſos pelle decora, quomodo de Phariſæis Chriſtus teſtatur: ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuo-

tuorum & omni ſpurcitia: *ſic & vos*
à foris quidem videmini hominibus
iuſti, intus autem pleni eſtis Hypocri-
ſi & iniquitate. Quod non vereor, ne
invidioſiùs, quam veriùs in eos di-
ctum putet, qui meminerit, ipſum
Claudium Aquavivam diſertim Su-
periorum pleriſque Aulicíſmi Sæcu-
laritatis & Hypocriſis dicam impin-
gere; qui ſpecie Dei gloriæ & ſaluti
proximorum inſerviendi quærant ſe-
metipſos. Iudicet Lector Chriſtianus,
an hic mandatorũ Commentarius pro
illo Depoſito *haberi debeat, cuius*
Paulus meminit ad Timotheum, O
Timothee, depoſitum cuſtodi, &
quæ audiſti à me hæc fidelibus ho-
minibus commenda.

I. *Qualem ſe Societas præſtare debeat, cùm de novo accipit loci alicuius fundationem?*

VT ſe gratam & acceptam præbeat Societas incolis loci, quem non ita pridem ſuſcepit: multum ad hoc conducet explicatio finis Societatis, præſcriptus in Regula ſecunda ſummarij, *incumbere in ſalutem Proximi æquè ac ſuam.* Quare humilia obſequia obeunda, in Xenodochiis, & fimo iacentes inviſendi: ad Confeſſiones excipiendas quorumcunque, etiam ad loca diſtantia eundum: Eleemoſynæ conquirendæ, dandæque pauperibus, *aliis videntibus*; ut ædificati facto noſtrorum, ſint in nos liberaliores. Modeſtiam exteriorem ita omnes ediſcant, vt illâ alios ædificent. Delinquentes è noſtris vel ob id dimittantur.

2. *Quid facto opus ſit, ut Principum & Magnatum intima familiaritate potiamur?*

Conatus ad id maximi ſunt adhibendi. Ex-

perientia docuit, Principes tunc affici ſpiritualibus & Eccleſiaſticis perſonis, quando odioſa facta eorum non aſperè reprehenduntur, ſed in meliorem partem explicantur. Cernitur id in Matrimoniis contrahendis Principum, cum ſibi affinibus, quæ matrimonia magnam habent difficultatem, ob vulgi opinionem, quod tales exſecratur thoros. Itaque dum hæc & ſimilia affectant Principes, animandi ſunt, aſſecuturos eos, quod volunt. Explicentur rationes, quæ eorum deſiderium augeant: videlicet, Matrimonium hoc fore cauſam majoris vinculi, & gloriæ Dei. Sic, dum Princeps aggreditur aliquid faciendum, non æquè omnibus Dynaſtis gratum: (Verbi gratia ſi bellum movere vult:) tunc ejus voluntas juvanda, & conſtantiæ monendus promovendúſque animus. Primoribus Regni inſinuent perſuadeántque Principis voluntati parendum eſſe: non tamen ad particularia deſcendant, ne nobis imputetur. Si tamen objiciatur: citentur generalià monita, id nobis prohibentia.

Iuvabit ad contrahendam familiaritatem Principum, obire legationes in materiis ipſis gratis. Per munuſcula vincendi intimi Principum: ut fideliter inſtruant noſtros, de moribus & humoribus Principis, quibus rebus oblectetur, quis ſit ſibi modus placendi: ſalvò tamen jure virtutis & conſcientiæ. Et occaſione ha-

bita, inſinuent ſe in animos Magnatū & Principum. Si careant uxoribus, proponantur illis Virgines in matrimonium, quæ cum ſuis parentibus, noſtris ſint addictæ: iiſque Virgines depingantur laudum coloribus, quibus eas depingi vellent ipſimet Principes. Sic enim fiet, ut per uxores, aliâs alienos, nobis amicos reddamus. Docuit id experientia, per Domum Auſtriacam, in Regnis Poloniæ, Galliæ, cæteríſque Ducatibus & ditionibus.

Fœminæ ne mutent animos, aut de ſuo favore in nos remittant: ſeriò illis inculcetur amor in noſtram Societatem, tùm per noſtros, tùm per eas Famulas, quæ noſtris ſunt addictę: quæ variis officiis, & munuſculis in amicitia conſervētur. Sic enim ſecretiora ſuæ Dominæ, & ea, quæ noſtros ſcire oportebit, evulgabunt.

Sequantur, *in conſcientiis Magnatum regendis, eorum Authorum ſententias, quæ liberiorem faciunt conſcientiam, contra Monachorum opiniones*: vt, illis reiectis, noſtros ſequantur, & à noſtra directione & conſiliis dependeant. Quare, tàm ad Principes & Magnates, quàm Prælatos conciliandos, juvabit, eos facere participes meritorum noſtri ordinis: habere amplas facultates, abſolvendi à peccatis reſervatis & cenſuris, diſpenſandi in jeiuniis, debito reddendo, matrimonij impedimentis, & aliis votis. Invitentur ad Scholas noſtras: ſalutentur carminibus: in-

ſcriban-

ſcribantur illis Theſes: ſi expedit, in triclinio tractentur: & ſi qualitas perſonæ expoſcat, variis linguis ſalutentur, tempore menſæ, à noſtris fratribus.

Inimicitias inter Magnates componant. Quod ſi Monarchæ, nobis addicto, ſubſerviat Vir aliquis primarius, à nobis alienus: promittatur ei favor, & honores conferendi, ad noſtrorum inſtantiam. Denique ita Societati curent affectos eſſe Principes, & magnos Dominos, tùm Prælatos: ut pro eâ contra affines, & ſibi charos agant, nec dimiſſos à Societate ullo modo promoveant. Deferendos honores Primatibus ominentur; delatos gratulentur, libellis carminum, per ſtudioſos, in primo ingreſſu loci, ubi exercenda erit juriſdictio.

3. *Quid curaturi ſint Domini pro nobis, dum pecunia deſtituuntur, multæ tamen ſunt authoritatis in Republica, & aliis modis nobis prodeſſe poſſunt?*

Tales Domini ſi ſæculares ſint: curanda apud ipſos gratia & auxilium contra Adverſarios noſtros, favor ad lites forenſes, authoritas & potentia ad coëmtiones pagorum, domorum, hortorum, lapidearúmque pro exſtruen-

dis Societati noſtræ domiciliis, in illis præſertim civitatibus, quæ noſtros nolunt habere. Iidem Domini conciliandi, ut mitigent, imò compeſcant furorem hominum notæ inferioris, nobis nihil cooperantibus.

A Spiritualibus verò, (ut Epiſcopis, Archiepiſcopis) pro diverſitate nationũ, id exigendum, quod rei opportunitas oſtẽdet. In quibuſdã partibus curandum eſt, ut Prælati, & Parochi ipſis ſubditi, noſtros revereãtur, nec impediant miniſteria noſtra: in aliis partibus plus. Nam in Germania & Polonia, Epiſcoporum magna eſt authoritas; qui parvo labore, collata re cum Principe, Monaſteria, Parœcias, Præpoſituras, Altarium fundationes nobis poſſunt attribuere, contentatione quacunque facta Sacerdotibus ſecularibus. Quod in iis locis aſſequi poſſumus, ubi Catholicis Hæretici & Schiſmatici ſunt permixti. Oſtendaturque Epiſcopis, magnum fructum eos hac ratione facturos, quem à ſecularibus Sacerdotibus & Monachis præter cantum, expectare non poſſunt. Laudetur Zelus eorum: inculcetur facti memoria perpetua. Tales autem fundationes, ut Societas ſuccedat in beneficia ſecularium Sacerdotum, per eos Epiſcopos aſſequentur facilè, qui & confitentur noſtris, & à directione noſtra pendent, & ſunt in expectatione ad altiores gradus Epiſcopatus opulentioris, mediantibus noſtris.

Tàm autem apud Epiſcopos, quàm Principes curent noſtri, ut dum fundant noſtra Collegia ad parochiales Eccleſias, noſtri quoque ſoli ſint, qui habeant jus conferendi Vicarium perpetuum, cum cura animarum. Ipſe ſuperior loci, pro tempore exiſtens, erit Parochus: totumque regimen Eccleſiæ noſtrorum ſit. Per eoſdem curabunt exſtructiones Collegiorum in locis, ubi ſunt Academici, nobis repugnantes, vel Catholici, aut Hæretici cives, fundationes nobis in ſuis civitatibus prohibentes. Illi iidem curabunt pro nobis Cathedras concionatorias, in Civitatum nobiliorum præcipuis Eccleſiis.

Si quando agitur de beatificando aut canonizando noſtro: Magnatum Liberis promovendum erit negotium, apud Sedem Apoſtolicam. Si ex iiſdem Dominis contingat legationem obire: ne cognitis aliis Religioſis, qui nobiſcum ſymbolizant, ad eos affectum transferant, & in eas Provincias inducant, in quibus eminemus. Quare ſi tranſeant Viri illuſtres per Provincias, ubi ſunt noſtri, excipiantur ad Collegia, & pro modeſtia religioſa tractentur.

4. *Quæ commendata eſſe debeant Concionatoribus, Confeſſariiſque Principum & Magnatum?*

Vt directiones Regum, Principum, Virorumque illuſtrium, rectè per noſtros inſtituantur: omni modo ita eos dirigant, ut ſua directio tendere videatur ad conſcientiam, quam ipſis Principes concredunt. Non ſtatim autem, ſed ſenſim, ſpectare debet directio ad gubernationem politicam externam. Quare ſæpè inculcent Principibus, diſtributionem honorum & dignitatum in Republica, ſpectare ad iuſtitiam: graviterque Deum offendi, ſi contra eam à Principibus peccetur. Se tamen nolle, dicant, ingerere in ullam adminiſtrationem Reipublicæ, & hæc ſe invitos dicere, ratione ſui officij. Quod ubi apprehenderint Principes: explicetur ipſis, quibus virtutibus præditi eſſe debeant viri, aſſumendi ad dignitates Reipublicę. Commendationis capita ſumantur ex amicis Societatis noſtrę, & iis Viris, quos expedit pro bono Societatis promovere: quos per ſe non nominent Principi, ſed per intimos amicos Societatis noſtrę, & Principis. Quare Confeſſarii & Concionatores informentur à noſtris, qui in quavis parte illius dominii ſint Viri, quâ virtute, potentia, divitiis, liberalitate in nos. Horum nomina apud ſe habeant, notitiamque eorundem faciant Principi, dextrè eos commendando: ut faciliùs oblata occaſione promoveantur à Principibus illi, quos olim ſibi laudari, à ſuis Confeſſariis & Concionatoribus audierant.

Me-

Meminerint Confeſſarij, & Concionatores Principum, *ſuaviter eos tractare, nulla ratione perſtringere in concionibus aut privatis colloquiis.* Confectiones, aquas diſtillatas modicè accepτent: pro uſu privato, parvâ pecuniâ ſint contenti. Dum ſunt in Palatiis ad abjectiora ſe cubicula conferant. Prudenter inculcent ſuis Principibus, ne vel lato ungue diſcedant à conſilio ſpiritualium Patrum. Curent ſibi ſignificari quàm primum Officialium Reipublicę mortem: & de ſubſtituendis maturè agant. Vt ſuſpicione ſe eximant externi regiminis: nec Amicorum cauſas apud Principes promoveant per ſe, ſed aliis potiùs committant.

5. *Quid agendum cum Religioſis, qui ſymbolizando nobiſcum, in multis occupationibus, multùm nobis detrahunt?*

Genus humanum nobis animosè ferendum. Proinde inculcandum hominibus, noſtrum Ordinem omnium religionum habere perfectionem, & in quo alię religiones excellunt, in eo, eminentiore modo, Societatem lucere in Eccleſia Dei: pręter cantum, & victus aſperitatem: (quibus diſcrepamus à Monachis:) omnia in Societate melius haberi, ipſa etiam

ſubjecta. Notentur defectus, ex quibus oſtendatur, minùs feliciter alios Religioſos ſatisfacere poſſe illi occupationi in qua concurrunt nobiscum. Maiore conatu eundum eſt contra illos Religioſos, qui Scholas erudiendę juventuti inſtituere vellent, in locis, ubi id cum dignitate & fructu Societas noſtra obit. Oſtendatur Principibus, tales homines fore perturbationi Reipublicę. Proponatur Academicis externis, illos Religioſos magis quàm nos fore ipſis in ruinam. Suggerant Principibus, ſufficere Societatem erudiendę juventuti. Quod ſi literas Pontificum pro ſe habeant, aut Cardinalium commendationes : agant per Principes apud Pontificem, cui oſtendatur, Societatem benè fungi ſuo munere. Procurabunt teſtimonia à Civitatibus, in quibus ſua Collegia habent, bonę converſationis. His etiam diligenter perſuadendum erit, timendas perturbationes, acceſſu diverſarum Scholarum, & Pręceptorum. Eſto ; Religioſi ſint : interim noſtri pro viribus curent ſtudia exerceri, & ſpecimina edi, cum applauſu aliorum.

6. *De conciliandis Viduis opulentis Societati.*

Deligantur ad hoc opus provectę ætatis Patres, *colore vivido.* Viſitentur crebrius eædem à noſtris.

noſtris. Quæ affectum oſtenderit in Societatem, Viciſſim Societatis noſtræ opera ei offeratur. Si acceptat, cœperitque frequentare noſtras Eccleſias: detur ei talis Confeſſarius, qui eam benè dirigat, & conſtantem in viduitate conſervanda faciat, enumerando bona viduitatis, quibus meritum amplum ſit obtentura. Vt res tota melius illi cedat: comitatus famulorum diminuendus ſuadeatur: ordinentur Officiales aulæ, & Præfecti bonorum: præſcribantur, quæ ſpectant ad gubernationem domus, habita ratione loci, & perſonæ. In primis autem efficiat Confeſſarius, ut eius conſiliis acquieſcat Vidua, & directionem ſequatur, tanquam fundamentum futuri boni ſpiritualis. Proponatur uſus Sacramentorum frequens, auditio Sacri, recitatio Litaniarum. Exhortationes ſint bis vel ter in hebdomada, de bono viduitatis, de moleſtiis matrimonij iterati, periculisque novisque gravaminibus ejusdem. Facetè proponat Viros nobiles, quorum illa Vidua, cum qua agitur, non abnueret connubium: iidemque Viri ita deſcribantur, declarando mores & vitia ipſorum, ut audiendo Vidua nec cogitationem aſſumat de matrimonio. Proindè, cùm ſint ita affectæ erga Viduitatis ſtatum, quàm primum eis commendentur vota religioſa: ut emiſſo voto caſtitatis, omnem ſibi aditũ præcludant ad ſecundas

nuptias. Quo tempore maximè ſuadendum, ut ex aula abigantur juvenes liberiores in jocis: pauci admittantur hoſpites, in iiſque tractandis mediocritas. Præfecti pagorum, Sacellani, alij officiales, tales ſint, qui aut ex noſtrorum commendatione habeantur, aut à noſtrorum nutu dependeant. Hucubi progreſſum fuerit, paulatim ad bona opera inducenda erit Vidua: quæ tamen præſtabit, ex directione Patris ſui ſpiritualis.

7: *Quis modus conſervandi Viduas in viduitate, & de diſpoſitione redituum, quos habent.*

Si, præter communem affectum, teſtetur Vidua Clenodiis, aut pecuniæ non modicâ ſummâ ſuam in Societatem liberalitatem: fiat particeps meritorum Societatis noſtræ. Si emiſit votum caſtitatis: renovet illud more noſtro, bis in anno. Exponatur ordo noſtræ Societatis domeſticus: qui ſi placuerit, præſcribatur pro aula. Indicantur confeſſiones menſtruæ, tùm pro feſtis Chriſti Domini, Beatæ Virginis, & Apoſtolorum. Conſtituantur Syndici inter mares & fœminas, qui defectus notent inter aulicos & famulas, referantque Magnificæ. Interdicantur nutus, ſuſurri, clandeſtina colloquia: delinquentes ſeverè caſtigentur.

Sint

Sint in aula honeſtæ puellæ, quæ varia ornamenta conficiendo pro templis, ſe in pietate exerceant: ſupra ſe habeant manu-ductricem, quæ laborantibus attendat, & mores edoceat. *Viſitentur Viduæ crebrò, & jucundis Colloquiis*, ſpiritualibus tamen, conſerventur & foveantur. *Non tractetur rigidè cum ipſis in Confeſſionibus: niſi tunc, quum minor eſt ſpes aliquid ab eis accipiendi.* Proderit quoque ad conſervandas Viduas, ſi pleraque fiant in gratiam Viduarum: ut ingreſſus in ædes noſtras, colloquia, quando & cum quibus placet è noſtris. Non permittantur in frigoribus domo exire, aut dum ſe deteriùs habere ſentiunt. Nuptiæ filiarum exornentur carminibus ſtudioſorum externorum. Si exſequiæ peragendæ ſunt, ornatus lugubris, licet ſplendidus, tamen adhibeatur: cenotaphij non ſit vulgaris ſtructura. Demum, *quicquid fieri poteſt ad Viduarum ſenſualitatem, (modò ſint liberales, & addictæ intimæ Societati) fiat*, cautè tamen & ſecluſo ſcandalo.

Agendo de diſpoſitione redituum, quos habent Viduæ, proponatur ipſis illa perfectio laudata ſtatus hominum ſanctorum: quando, neglectis amicis, ſua bona in Ieſu Chriſti pauperes erogant: adducantur exempla Viduarum, quæ hac ratione brevi in ſanctas evaſerunt.

Quare, dum ſe viduæ in noſtras manus reſignant, paratæ ſequi directionem Patris ſpiri-

tualis; ſeriò inculcetur: ut majoris meriti ſint illarum actiones coram Deo, ne religioſis quidem perſonis dent eleemoſynas, inſcio Confeſſario, ſed adnotatis iis, quæ ſe daturas alicui decreverunt, ſchedulam exhibeant Confeſſario: qui detrahere aut addere poteſt, pro ut videbitur. Caueant Confeſſarij frequentem aditum aliorum Religioſorum ad Viduas: ne poſt ſe fœminas, natura inconſtantes, abducant.

Dum multa eſt pecunia ex bonis collecta; ne hinc moveantur Viduæ ad ſecundas nuptias: proponant Confeſſarij, imò ſuadeant, ordinarias penſiones, quibus ſublevent neceſſitates, ſingulis annis, noſtrorum Collegiorum, & Domorum profeſſarum; præcipuè Domus profeſſæ Romanæ. Eandem pecuniam impendere poſſunt in caſulas, & paramenta templi, quę pro noſtris ſacris ædibus ſervire poſſunt poſt mortem Viduæ. Exponantur defectus Eccleſiarum noſtrarum coram Viduis, ſtructuræ imperfectæ Collegij. Inducantur ad ſumtus faciendos pro rebus perpetuam eis gloriam conciliaturis, ut ſunt templa, cibaria, ædificia, quę conſulto citò conficiantur: ut habeant, in quod ſuam liberalitatem poſſint exercere. Id ipſum faciendum cum Benefactoribus & Principibus, qui nobis aliquid ſumtuoſè exſtruunt. Si clenodia ſint: ſuadeatur, æternitati ea conſecranda;

çranda, ſi dentur à Viduis ad ſepulchra noſtrorum Beatorum Romam.

Comprobetur id exemplis aliarum Matronarum, quę id pręſtiterunt. His de cauſis oſtendatur, illas ſummam perfectionem aſſecuturas, dum rerum terrenarum amore ſe exuendo, earum Chriſtum Dominum in ſervis Societatis ſuæ poſſeſſorem inſtituerint. Quod ſi filios & filias Dei obſequio dicare voluerint, non eſt liberalitas earum ſpernenda, accipiendo quæ offerentur: parcius tamen ab iis Viduis accipiendum, quæ filios & filias ad ſeculum diligunt.

8. *De remediis, ut filij & filiæ noſtrarum devotarum religioſum amplectantur ſtatum.*

Suaviter & fortiter id Matri viduæ peragendum. Filiabus moleſta ſit virgis, minis, abſtinentiis: aſperius tractando, denegando ornatum muliebrem exquiſitum, pollicendo majorem dotem, ſi velit eſſe monialis. Exaggeret illa futuri mariti furores, gravamina matrimonij: præ ſe ferat mater ipſa dolorem, ſe non fuiſſe monialem: demum ita agat contra filias, ut tædio vitę manendi apud matrem, adſpirent ad monaſterium.

Cum filiis converſentur noſtri familiariter.

Accipiantur ad Collegia: in quibus illa oſtendantur ipſis, quæ moveant ad ingrediendam noſtram Societatem: ut ſunt Horti vicini Collegiis, in quibus fiunt recreationes.

In Refectoriis oſtendatur mundities & exterior converſatio inter noſtros: munuſcula, faceta colloquia, ad Spiritum tamen, non omittantur. Sint, penes tales Viduarum filios, inſtructores amiciſſimi nobis, imò futuri de noſtris. Subtrahat mater filiis neceſſaria ad tempus modicum: exponat intricata negotia, ex parte bonorum. Si ad alias provincias iverint, ſtudiorum cauſa, ibi illos mater non delicatè tractet pecuniâ: ut tędio victi in exteris nationibus, religionem ingredi ſeriò meditentur.

9. *De Reditibus augendis Collegiorum.*

Seriò inculcetur Confeſſariis Principum, Magnatum, & Matronarum, ut dum ſpiritualia illis conferunt, temporalia, pro bono communi Societatis, ab eiſdem recipiant. Quocirca non omittant occaſiones acceptandi, dum aliquid offertur: & ſi differatur, in memoriam revocent nimium affectum minimè præ ſe ferendo. Qui ex Confeſſariis minùs induſtrij in hac re erunt, tanquam bono communi minùs affecti, amoveantur à Principibus, domíque exagitentur. Magno dolore audivimus, iuve-

nes

nes Viduas, morte immatura præventas, culpa noſtrorum, ſupellectilem templi multùm pretioſam noſtris non legâſſe, neque acceptâſſe, dum ſuperſtites Viduæ offerrent: cùm ad talia acquirenda, non tempus, ſed voluntas offerentis, ſpectari debeat.

Adeant Civium domos, aulas Nobilium, nec non Viduarum: ex quibus omnibus perquirant prudenter, num, pro animæ ſuæ bono, vel ipſi, vel aliorum Amici aut Affines, Eccleſiis aliquid ſint legaturi.

Idem perquirendum à Parochis & Prælatis, qui prius inducantur, ad officia ſpiritualia facienda: pro tempore multa noſtri poſſunt lucrari.

Apud hos omnes ſtudeant captare benevolentiam, explicando gratitudinem Societatis, & fidelem exſecutionem, ratione locorum, quę accipiunt à benefactoribus, ſecus quàm alij ſeculares Sacerdotes & Monachi. Habeant notitiam hortorum, lapidearum, Vinearum, civitatum in quibus reſident, pagorum, prædiorum, à quibus poſſeſſoribus, quibus contractibus, cum quibus gravaminibus, teneantur: & num illa bona, vel per contractus, vel receptionem filiorum in Societatem, aut donationem, habere poſſint, experiantur.

Devotis & devotabus Societatis noſtræ, quandoque bona ſua Collegio vendant, cum

pacto, quod poſt breve tempus, Societas gratis eadem ſit ab ipſis receptura. Si viduas addictas contingat habere tantum filias: eas dirigant ad religionem Monialium, dote quacunque eis data. Cætera, uti pagos, clenodia, totamque poſſeſſionem, noſtri facilè lucrabuntur. Si autem tantùm unum filium, aut plures, Vidua Societati noſtræ amica habuerit, nulláque ſpes ſit filios vel filium fore in Societate: indicetur Matri, ſufficere, ſi integras poſſeſſiones filiis vel filio relinquat, ac collectam pecuniæ ſummam, ad ſuam propriam dotem, poſſe legare Societati. Accidit, Viduas eſſe unius aut alterius pagi, ad pietatem propenſas, Societatis ſtudioſiſſimas: hæ inducantur ad inſcribenda bona noſtris Collegiis, ipſæ interim contentæ ſint annuam ſuſcipere contentationem: Vt Deo commodius vacent, cura rerum temporalium liberæ.

10. *De Diſciplinæ rigore oſtendendo in Societate.*

Teſtabitur Diſciplinæ rigorem, ejiciendo à nobis, quandocunque videtur Societati. Eſto ſint cujuſcunque conditionis & ſtatus, ſenes, juvenes, conſumſerint ætatem & vires, morbo calculi, & alio quocunque poſtquam ingreſſi ſunt Societatem, affecti fuerint. Cauſæ (præter cauſas

cauſas reſervatas, ob quas, pollutione excepta, licita erit dimiſſio) hæ erunt ejectionis: ſi devotas noſtras, & amicos Societati utiles, ad alias religiones dirigunt, aut Parentibus indicant, ſive illis à quibus impediuntur, ne ingrediantur Societatem: ſi in reſignatione bonorum, erga conſanguineos affectum oſtendunt, non dando totum Societati. Prius tamen tales, per aliquot annos in Societate mortificentur. Fratres in officiis vilibus ponantur: detineantur in Scholis inferioribus, ut ibi doceant: altiora ſtudia, præcipuè quartus, Theologiæ annus, non concedatur. Capitula frequentiùs, tempore menſæ, dentur. Patres prohibeantur à confeſſionibus excipiendis: arceantur à converſatione externorum: accipiantur res charæ ex cubiculis: frequentes pœnitentiæ publicè aſſignentur.

Hinc erit facilè progredi ad dimiſſionem. Si tales perſonæ, notatæ in ſuprà dictis vitiis, conquerantur coram Provincialibus, de immoderatis ſuperioribus aut officialibus: non credatur facilè, excuſetur factum, dicatur teneri eos obedire Superiori ubicunque non eſt peccatum.

Non ſint ſcrupuloſi in dimiſſione Superiores. Cùm enim ordo noſter gaudeat nomine *S*ocietatis & *S*ociorum: non mirum, *S*ocietati annexam eſſe dimiſſionem. Nam *S*ocietatis, & ſociorum vincula facilius ſolvun-

tur, neque ſunt perpetua. Dimiſſio cœpit cum inſtituto Societatis.

Id evidenter ex eo patet: quia Societas habet vota ſimplicia, pro Scholaſticis, Coadiutoribusque formatis: quæ vota non habent mutuum contractum, ac ſi Societas habeat obligationem, perſonas cum talibus votis in Societate retinendi ſemper. Id autem nequaquam eſt: tantùm enim obligatio cadit in voventem, non in Societatem, quæ poteſt cum talibus votis quoſcunque dimittere, quando & quacunque de cauſa ſibi videbitur. Licèt autem in Societate, alij faciant profeſſionem quatuor votorum, alij trium votorum ſolemnium, more aliorum Monachorum, tamen & tales à Societate dimitti poſſunt.

II. *Qualiter ſe unanimiter præſtabunt noſtri contra dimiſſos?*

Quoniam tales multùm obeſſe poſſunt Societati: proinde obvietur his modis. Antequam è Societate dimittantur, promittant, eiuſque rei teſtimonium relinquant, ſe de Societate nihil ſiniſtri dicturos. Præcludant aditum dimiſſo, ad eos ſpirituales & ſeculares dominos, quorum ipſe aucupari poſſet gratiam, ibique habere locum. Dicantur malæ ejus inclinationes, vitia, defectus, quos de ſe, in mani feſta-

nifeſtatione conſcientiæ, aliquando Superioribus aperuerat, & juxta quam in Societate dirigebatur, cedendo in hoc juri ſuo. Quod ſi erunt Domini noſtris non addicti: per Viros graves nobis addictos, curetur impediri favor dimiſſo, apud eum, qui non eſt affectus nobis. Et ſi non poteſt induci ad avertendum animum à dimiſſo, ſaltem inducatur ad non favendum ex omni parte. Scribatur per Collegia, quinam ſint dimiſſi: & cum exaggeratione cauſæ dimiſſionis proponantur. De dimiſſo in exhortationibus dicatur, quod iterum ardenter petat ingredi Societatem. Externis inſinuentur cauſæ dimiſſionis illæ, ob quas vulgus nos odio habet: ſic enim plauſibilior erit dimiſſio quorumcunque.

Si dimiſſus habeat creditum, contra nos dicendo: obvietur huic rei per noſtros graves Viros, qui dictis dimiſſi opponant authoritatem Societatis, famam, fructum quem facit in Eccleſia Dei, bonam exiſtimationem Vitæ & doctrinæ, ob quæ Regibus, Principibus & Magnatibus, ſunt à confeſſionibus concionibusque: explicent Zelum noſtrum in Proximos, multò magis in unumquemque hominem Societatis ſuæ. Invitentur ad prandia illi, apud quos dimiſſus videtur habere partes: quibus perſuadendum eſt, ne faveant dimiſſo, & teneri eos præſumere pro religione. Quo tempore

cauſas dimiſſionis exponant, omnem eis probabilitatem oſtendendo, & defectus dimiſſi omnes enucleatè exponendo, nihil omittendo.

Eſto, dubia aliqua ſint: caveant dimiſſos promovere ad ulla beneficia eccleſiaſtica, niſi aut dederint non modicam pecuniam, aut ſua bona inſcripſerint, aut ſingulari modo teſtati fuerint, ſe eſſe amicos Societatis. Id etiam Principi & Regi perſuadeant Confeſſarij: ut collaturi alicui honores, argumentum accipiant ejus ex liberalitate & bono affectu ejus in Societatem noſtram, fundando ei Collegium, aut quid ſimile ei præſtando.

Si contingat dimiſſos habere favores hominum: diligenter inquiratur in vitam ipſorum, & mores ac defectus, per amicos & devotas noſtras Ordinis inferioris divulgent. Ipſæ ne dimiſſis faveant, aut apud ſe conſervent dimiſſos, terreantur cenſuris: negetur abſolutio ſi ſint pertinaces. Laus dimiſſi extenuetur, argutis propoſitionibus ambiguiſque, ita tamen, quod poſſint avertere animos hominum à dimiſſo, aut ejus fidem minuere. Succeſſus mali, qui accidunt dimiſſis, evulgentur cum magna commiſeratione, in exhortatione, ut reliqui terreantur, & vel inviti maneant in Societate.

12. *De delectu Iuvenum pro Societate, modoque eos retinendi.*

Sum-

Summa arte & induſtria opus eſt, ut recipiantur Iuvenes ingenij boni, formâ non contemnendâ, genere nobiles, & opulenti. Vt tales pertrahantur, oſtendatur illis favor à Scholarum Pręfectis: non permittantur vexari à Pręceptoribus: laudentur crebrius: dentur ipſis munera: accipiantur ad veniam, tractentur fructibus: in ſolemnitatibus accipiantur ad Refectorium. Cum aliis ad virgas deſcendendum, objicienda crimina ex aliquibus conjecturis, iratus vultus oſtendendus, acrius compellandi ac reprehendendi: juvenilis ętas ad omnia mala quod ſit in illis proclivis, oſtendatur: niſi religioſi fiant, damnatione ęterna terrendi. Dum in Societatem admitti petunt, non ſtatim admittantur: differantur ad tempus: interim foveantur: in colloquiis, commendetur illis ſuave inſtitutum: Ita enim magno deſiderio creſcente alacrius inſtabunt admitti.

Et ſi voluerit poſtea exire aliquis ex talibus, revocetur illi ardens ſtudium quo ingreſſum in Societatem urgebat.

Quoniam verò maxima eſt difficultas, in alliciendis Senatorum filiis, & hominum ditiorum in Patria: ſi tales ſint, mittantur Romam ad Novitiatum: prius tamen præmoneatur de ipſis Generalis, aut Provincialis Romanus. Quod ſi in Germaniam, Galliam, Italiam venerint, & Societatem affectaverint: ſine ſcru-

pulo ſuſcipiantur in illis dominiis, in quibus Monarcha Societati eſt addictus: Sub tali enim Domino hæc & ſimilia erunt peragenda: ſiquidem illius Subditi, cùm noſtro favore indigeant, non facilè contra nos inſurgent, & ſi inſurgant nihil lucrabuntur.

Non omittantur occaſiones inducendi filios eorum, qui ſtudiorum cauſa ad noſtra gymnaſia ex aliis Provinciis veniunt: maximè tunc, cùm incipiunt pecuniam amittere, & partim pudore amiſſæ pecuniæ, partim metu Parentum aut Affinium, ob moleſtias, quas timent, induci ſe ſinunt. Res habuit bonum ſucceſſum in Germanis & Polonis.

Inconſtantiæ occurrendum, pro qualitate perſonæ, exhortationibus de malo ſucceſſu dimiſſorum. Vt verò Parentes & Affines ingredientium ad nos ſint contenti: oſtendatur excellentia inſtituti noſtri, & tantus applauſus Mundi: & honor qui defertur à Principibus Societati.

Inſinuent ſe in intimam familiaritatem ipſorum, reddantque eos contentos: ſi id neceſſitas & perſonæ dignitas poſtulabit.

13. *De Monialibus.*

Caveant offendere Moniales noſtri Confeſſarii: cùm tantæ ſint benefactrices: ut aliquæ

quæ fundationem juverint Collègiorum, plurimæ mediam dotem dederint, annuente Monaſterio & Abbatiſſa. Quare ob clauſuram, non eas moleſtent: relinquant Epiſcopis. Conſervent potiùs favorem Monialium: ne contra nos agant ob dimidiatas dotes, easque exprobrent noſtris datas.

14. *De Caſibus reſervatis & cauſis dimittendi à Societate.*

Præter caſus deſcriptos in inſtructione, à quibus ſolus Superior abſolvet, aut ordinarius Confeſſarius ex ejus licentia (hos caſus videlicet, Sodomiam, fornicationem, adulterium, ſtuprum, tactus impudicos maris aut fœminæ: & ſi quis quacunque ratione moliatur contra Societatem, qualicunque Zelo) ſciant eſſe cauſas dimiſſionis à Societate: nec priùs abſolventur, quàm extra confeſſionem promiſerint, ſe id manifeſtaturos, per ſe, vel per Confeſſariũ, Superiori. Qui ſi advertet, peccatum eſſe cum complice, aut in grave damnum Societatis: non abſolvet, niſi pœnitens promittat, aut ſe ipſum ſcripturum hac de re Generali, aut dederit facultatem ſcribendi Confeſſario, aut Superiori, de tali cauſa. Aliâs nullo modò abſolvet pœnitentem. Generalis verò, caſu pœnitentis cognito, re collata cum Secretario, de caſu pœni-

tentis id concludet, quod pro Societate expedire videbit, & tali pœnitenti dimiſſionem ex Societate aſſignabit. Quam ſi acceptare noluerit: nunquam validè poterit abſolvi. Id faciendum concluſimus cum Theologis noſtris, in caſibus reſervatis & approbatione ſedis apoſtolicæ, fruſtra quibuſdam repugnantibus. Taceat tamen Confeſſarius, ob id dimittendum à Societate pœnitentem. Si dixerit de ſe pœnitens extra Confeſſionem, dimittatur. Si dicere noluerit: Servetur cum ipſo illa ordinatio ſcripta contra fictos. Interim tamdiu non abſolvatur, quamdiu noluerit dicere extra Confeſſionem.

Si aliqui ex Confeſſariis noſtris audierint, aliquam externam perſonam, cujuſcunque Sexus cum homine Societatis rem turpem habuiſſe: non eam prius abſolvent, quam extra confeſſionem dicat noſtrum. Et ſi dixerit, dimittatur noſter: externa perſona abſolvatur.

Si duo ex noſtris Sodomiam committent: qui non manifeſtabit, dimittatur: qui prior manifeſtabit, retineatur in Societate, ſed ita mortificetur, ut (velit nolit) poſt parva interjecta morâ, alium ſequatur.

Poterit etiam Societas, cùm ſit corpus quoddam, his de cauſis, ſe exonerare perſonis, ſi ſucceſſu temporis eos deprehenderit eſſe craſſos in moribus & loquelâ: imò quaſcunque

que viderint ſuperiores cauſas, Generali monito, quemlibet à Societate dimittent. Vt citius dimittantur, vexentur, fiant omnia contra inclinationes eorum: negentur quę petunt, eſto res paucæ ſint: arceantur à ſtudiis majoribus: dentur ſub tales ſuperiores, de quibus non ſint contenti. Nec tales teneantur in Societate, qui vexati inſurgunt in Superiorem, de eoque coram fratribus conqueruntur, aut diſplicere ſibi dicunt, quæ fiunt in Societate, quoad Viduas & directionem Rerumpublicarum, laudantque Venetos à quibus pulſa Societas.

Immediatè ante dimiſſionem acriter exagitetur dimittendus: amoveatur à certo officio, & nunc ad hoc, nunc ad illud officium obeundum, mittatur: interim reprehendatur, quod non benefaciat officium ſibi commiſſum. Pro loci exceſſu, duriores aſſignentur pœnitentiæ: ex cathedra, tempore menſæ, defectus recitentur, ita ut confundatur. Et per id tempus, dum notabilem impatientiam oſtenderit, aliis audientibus & videntibus, tanquam is, qui eſt aliis ſcandalo, dimittatur, prius tamen res ejus revideantur; & aliquò jubeatur ire, ad vineam, vel vicinum Collegium, interim quo in loco minimè ſperat, in eo dimittatur.

15. *Qui conſervari & foveri debeant ex perſonis Societatis.*

Primum locum tenent ſtrenui operarij, qui non modò ſpirituale Societatis bonum, ſed etiam temporale, promovent: ut ſunt opulentarum viduarum Confeſſarij, qui dum ad decrepitam ætatem accedunt, amoveantur à viduis, & alij ipſis, cum recentibus viribus & ætate ſufficiantur. His concedantur quæcunque petent in cibo, veſtitu aliiſque rebus, nec vexentur à Miniſtris pœnitentiis. Contra tales non ſint creduli Superiores.

Habeatur & eorum ratio, qui defectus minimos, in aliis notatos, Superiori deferunt: aut poſiti in officio Miniſtri, Subminiſtri, Bedelli, alios mortificare ſciunt, non ex affectu, ſed amore diſciplinæ religioſæ.

Foveantur juvenes illi, qui ſunt affines noſtrorum Benefactorum, & Fundatorum, quare mittendi ad ſtudia Romam. Si ſtudeant in propria Provincia, concedantur illis ea, quibus foveri poſſint.

Fiat gratia illis etiam juvenibus, qui nondum reſignationem bonorum fecerunt pro Societate: poſt factum, pane, non lacte, paſcendi.

Nec illi poſtremum locum habeant, qui multos ſelectos juvenes ad Societatem inducunt, tanquam benè affecti inſtituto Societatis.

16. *De*

16. *De Contemtu Divitiarum.*

Ne nimium nobis affectum adſcribant divitiarum: juvabit, mediocres non admittere eleemoſynas, pro ordinariis officiis, quæ fiunt à noſtris. Negentur ſepulturæ viles in templis noſtris. Cum viduis acriùs agant, quæ ſe exhauſerunt dando noſtris. Idem faciendum cum perſonis noſtris, qui pro Societate fecerunt reſignationem. Imò quando tales dimittuntur, aut nihil eis reddendo, aut ſaltem benè detrahendo ob ſumtus à Societate eorum cauſa præſtitos.

Hæc arcana præcepta diligenter ſervent penes ſe Superiores, & paucis idque gravibus ea patribus communicent, e. iisque inſtruant alios, quomodo ſerviant cum fructu Societati, neque ut ſcripta ab altero, ſed ut ex peculiari prudentia deprõpta, aliis cõmunicent. Quod ſi (abſit) in manus externorũ hæc monita veniãt: quoniam ſiniſtrè ea interpretabuntur: negentur hoc ſenſu eſſe Societatis; per iſtos confirmando è noſtris, de quibus certò ſcitur eos talia ignorare. Opponantur his privatis monitis generalia monita, & ordinationes impreſſæ aut ſcriptæ, his contrariæ. Demum inquiratur, annon ab aliquo è noſtris prodita ſint: (neque enim Superior ullus erit tàm negligens, in

aſſervandis tantis ſecretis Societatis) & ſi in aliquem vel leves erunt conjecturæ, illi imputetur, & ex Societate dimittatur.

Abdiæ I.

Quomodo ſcrutati ſunt Eſau, inveſtigaverunt abſcondita ejus?
Qui comedunt te, ponent inſidias ſubter te.

FORTVNII GALINDI CANTABRI

DE CAVSIS PVBLICI ERGA IESVITAS ODII

DISPVTATIO.

QVOD paſſim uſque eò inviſi ſunt Ieſuitæ, nec ab Hæreticis modò, ſed etiam à pleriſque Catholicorum in ſermonibus minus bellè audiunt, id ego partim gratis, partim nonnullâ quorundam culpâ fieri exiſtimo. Gratis quidem, quia ut pleriſque perſuaſum eſt, niſi Ieſuitę ſingulari Dei dono hac ultimâ mundi ætate excitati ſummis viribus obſtitiſſent, actum iam eſſet in Germania de religione Catholica: nam hi juventutem ad religionem adſuefecerunt, Sacerdotes

Ieſuitæ omnium bonorum amorem ſunt meriti.

non minùs bonis moribus, quàm literis inſtruxerunt, Principes excitarunt, Hæreticos voce ac ſtilo repreſſerunt: quibus nominibus immortales Societati gratias deberi, neminem qui bona fide ſit Catholicus negare, nec veræ Ieſuitarum apud Deum homineſque gloriæ intercedere velle arbitrantur: qui nimirum delectos populi Iſraël ſub duce Ieſu in campeſtribus adverſus Amalechitas ſignis collatis depugnantes vident, eorumque virtuti ſecundum belli exitum aſſignant, qui tamen uni Móyſi in collis vertice oranti eiúſq; adminiculatoribus debetur. *Cum enim Moyſes levaret manus, vincebat Iſraël: Sin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalec*, Exod. 17. Hanc porro figuram fuiſſe modi illius, quo Eccleſię hoſtes vinci oportet Iudit. 4. ſic monemur: *Moyſes Amalec confidentem in potentia ſua, non ferro pugnando, ſed precibus Sanctis orando deiecit. Sic erunt univerſi hoſtes Iſraël*, ut nimirum non humanæ potentiæ, eruditionis aut eloquentiæ armis, ſed hominum ſanctorum Deo vacantium orationibus devincantur.

Odioſos reddit Aulicis-

Culpa verò Ieſuitarum, quæ ipſos paſſim inviſos reddit, hæc eſt, quod

non-

nonnulli plus aulis & conſiliis ac negotiis Principum immiſcentur, & Monopolium quoddam gratiæ apud Deū & Principes inſtituere conantur, ut omnes ad ſe convolare, & non modò apud Principes, ſed etiam apud Deum ipſis interpretibus uti poſtulent: eos verò, qui apud Franciſcanos, Dominicanos, Auguſtinianos aliosque peccata confitentur, pro viris minùs bonis habeant. Itaque videre eſt in aulis, ubi Ieſuitæ dominantur, pietatem eſſe quæſtuóſam. Si quis enim crebrò Ieſuitis confiteatur (poſtquam ſcilicet atrociora peccata priùs Monacho alicui confeſſus eſt) & in audienda miſſa utroque genu continuò nitatur, pectus quoque fortiuſculè oppugnaverit ſeu pugno percuſſerit, Sodalitati B. Virginis nomen dederit, pueriles eorum comœdias ac fabulas, quamvis pædagogicarum ineptiarum & præſtigiarum pleniſſimas, plauſu proſequatur, in omnibus denique rebus ſuum eis ſtudium probaverit, hunc continuò piū ac Deo devotum hominem eſſe, & Principibus accuratè commendari, officiisque lucroſiſſimis affici oportet: in quibus ſi poſtea vel facinoroſiſſimè

mus, & Monopolium gratiæ apud Deum & Principes.

Quomodo Aulici Ieſuitas ſibi reddant propitios.

Vt etiam impunè

poſſint malefacere. ſe gerat, Principes depeculetur, provinciales ſpoliet, dum tamen Collegio mittat munera, eisque, ſi qua pecunia commiſſa, ſi qua mulcta pecuniaria impoſita ſit, maturè indicium faciat (ne quis eos ſcilicet in ambienda ea pecunia apud Principes antevertat) eum tueri nequaquam ſibi religioni ducunt, quippe qui Societatem opibus, potentia, Principumque gratia florere minime gloriæ Dei diſconducere intelligant. *Siue manducatis* (ait Apoſtolus 1.Cor.10.) *Siue bibitis, ſiue aliud quid facitis*, & homines facinoroſos in Societatem munificos patrocinio veſtro complectimini, *omnia in gloriam Dei facite. Vniuerſa enim propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, etiam impium*, maxime qui opibus ſuis piorum conatibus adiutorem ſe præbet, Prover.16. Laudem ergo ſummam meretur ſapientia quorundam magnorum Principum, qui quamvis Ieſuitas ament plurimùm, eos tamen in Collègio ſuo continent, neque pedem in Aulam ponere permittunt, niſi cùm vel Confeſſore eis opus eſt, vel alioquin neceſſitas aliqua Ieſuitis ad Principem accedendi imponitur. Nimirum poteſt *Aliter viri, aliter* Pietas

Pietas etiam generoſa ac Virilis, miniméque aut puerilis aut effeminata eſſe, neque continuò odit Ieſuitas, ſiquis non in omnibus arridet aut applaudit, neque mimo eorum hiſtrionem ſe præbet. Et ſanè nemini plus quàm ipſis contulit, qui operam addit, ut ſuarum rerum ſatagant, neque præfecturam aulicorum negotiorum ſibi vindicent. Cùm enim ſint homines de Schola, pædagogicíque loci ac judicij, fieri facile poteſt, ut aberrent & allucinentur in dandis conſiliis politicis & œconomicis, quod cùm fit, omnis rei male geſtæ culpa in ipſos, & quidẽ in totam Societatem imponi ſolet, adeoque publico omnium odio obnoxij minus deinceps aliis prodeſſe poſſunt, rectéque illud Homeri in eos cõfertur, quod de Margite protulit: *Multa quidem norat, ſed pravè eadem omnia norat.* Quin etiam cùm pernicioſorum & male vertentium conſiliorum participes aut conſcij minime fuêre, quia tamen multùm in aulis apparent, & familiarius Principibus utuntur, ſuſpicionem πολυπραγμοσύνης, quódque talia ipſi dederint conſilia, effugere nequeunt. Sed etiamſi nihil eiuſmodi

mulieres & pueri Ieſuitas diligunt.

Non expedit Ieſuitis tãquã Scholaſticis admiſceri rebus Aulicis.

S. Petri exemplũ eos ab Aulis debebat deterrere.

uſuveniret, adhuc tamen S. Petri exẽplum eis relinquendarum Aularum conſilium ſubjicere debebat: Nam is ſemel modò Aulá ingreſſus, ter Chriſtum negavit, quid mirum, qui in Aulis habitant, ſi vel ſemel Chriſtum negent? cũ ſe ſcilicet plus S. Petro Chriſtum amare vix videri velint.

Eos etiã odioſos reddit ſua inſatietas.

Odium etiam ipſis cõmovet, quod palam eſt, eos nimium ſe ipſos amare, nimíſque pretioſos operarios eſſe, qui quidem putent, ſe minùs Eccleſiæ navare operam poſſe, ſi non omnibus rerum copiis & cõmoditatibus affluant: quid autem fiat Monachis, aliíſque qui & ipſi prodeſſe publico poſſent, edant ne an eſuriant, parum penſi ducant: modò ipſis de copioſis fructibus annuis ſatis proviſum ſit, quibus magnificas palatiorum moles excitare poſſint. Itaque ſæpe nihil verentur, Principibus ac proceribus oneri eſſe, magnáſque in ærariis eorum vel cum integrarum provinciarum damno maximo, lacunas facere, cùm tamen velut religioſi & publicæ utilitatis ſtudiũ profeſſi, id unicè dare operam deberent, ut ſua opera quàm minimo hominibus conſtaret. *Si populo conſulis* (ait Cice-

Quæ non parum Principes & provincias gravant.

Cicero) *remove te à ſuſpicione priuati alicuius commodi.* Et verò, ſi vel maximè ſua ſponte Principes adeò in ædificãdis ipſorum palatiis damnoſos eſſe viderent, rectius facundiâ ſuâ ad diſſuadendam ejuſmodi inſaniã uterentur, iiſque ad ſuſcipiendam eorum curam, quibus egeſtatis metus, ne Catholici fiant, quod ſibi ſcilicet, uxoribus ac liberis nulla victus ſpes apud Catholicos oſtendatur, auctores eſſent, hocque Clementis Alexandrini aureum dictum auribus eorum inſtillarent: *Scio Deum poteſtatem nobis uſus dediſſe, ſed eũ tamen uſque ad id, quod eſt neceſſarium, & uſum communem eſſe ſtatuit. Abſurdum verò ac turpe eſt unum lautè vivere, cùm multi eſuriant, quanto enim eſt glorioſius multis benefacere, quàm magnificè habitare? quanto autem prudentius in homines, quàm in lapides & in aurum impenſas facere?* Atque hoc tanto ſtudioſius facere deberent, quod multis iam ſuorum experimentis cognoverunt, quanti ad permovendos hominum animos momenti habeat verus, non adumbratus paupertatis amor. Sic enim Poſſevinus ſcribit lib. 4. biblioth. cap. 9. *Sinenſes & Indos cùm in Ieſuitis pecuniæ rerumque*

2. Pædag. 12.

Quales ſe præbeant Ieſuitæ apud Indos.

mundanarum contemptum vident, mirificè in eorum admirationem rapi, & ad amplectendam Chriſti fidem velut præparari. Oportet ergo ut minimè verum ſit, quod vulgò dicunt, *Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt.* Quam diu enim apud nos Europæos ſunt Ieſuitæ, longè aliud, quàm apud Indos & Chinenſes ingenium præ ſe ferunt, neque unquam ſatiari poſſunt, quin poſtquam jam de victu abundè eis cautum eſt, ſemper ſive in ſacram ſupellectilem, ſive in commodiorem & laxiorem habitationem, ſive in hortorum amœnitatem, ſive in apparatum Comœdiarum, quem niſi ſumptuoſiſſimũ habeant, cadere fabulas putant, ſeu quam denique aliam ad rem minimè neceſſariam ſtipes odioſè corrogent. Et ſanè ſi verum quærimus, ſi vel optimum finem habeant propoſitum, animarum nempe ſalutem & Dei gloriam, plus tamen in humanis adjumẽtis, quàm in Dei auxilio, fiduciæ ac præſidij collocant. Itaque Deus minus etiam conatibus eorum benedicit, neque Miraculorum gratiam item ut aliis Religioſis ordinibus largitur. Sunt enim modicæ fidei, manúſque

Quales apud Europæos.

Ieſuitarũ finis & media.

Cur Ieſuitæ non faciant miracula.

oculatas habent,nec ferè credunt, niſi quod vident. Sic enim affectos dicit Chriſtus eos, qui parum in fide firmi ſunt: *Nolite ſoliciti eſſe dicentes,quid mãducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt:* Ii ſcilicet, qui fidem non habent. Sed fidei Miraculorum effectricis eſt, *contra ſpem in ſpem credere, nec hæſitare diffidentiâ, ſed gloriam dare Deo, qui vocat ea, quæ non ſunt tamquam ea, quæ ſunt.* Magnoperè quidē ipſi animis anguntur, quod Miraculorum dono multò cęteris Religioſis inferiores inveniantur, & quotieſcumque caſu aliquid rari ab ipſis patratur, continuò miraculum clamant. Sed nondū adhuc Deus ulli ex Societate tantum largitus eſt,ut ejus conſecrandi & Diuis adſcribendi ſeu canonizandi ſatis juſtas ſe cauſas Eccleſia habere crederet,non quidem quod Societatis inſtitutum non æquè ſanctum aut Eccleſiæ fructuoſum ſit, quàm Franciſcanorum, Dominicanorum, ac ſimilium: Sed quia Ieſuitis occaſionem ſuperbiæ naſci non vult. Cū enim partim propter magnos viros, quos Societas habuit, partim propter Principum gratiam multi tantoperè

Hoc ſcriptū ante canonizationem Ignatij Loyolæ & F. Xaverij.

inflentur, velut mox attingam, quanta ſui ignoratio eis acceſſura eſſet, ſi etiam miraculorum gloria Societatem illuſtraret? Hac de cauſa Deus Prophetas non ſtatim ſolet exaudire, ne ſibi ipſis blandiantur, ut Elias, Eliſæus, Ieremias exemplo ſunt. Altera cauſa eſt, quia Deus docere vult, in omnibus rebus, maximè in negotiis ipſius Dei gloriam præcipuè ſpectantibus, non quidem negligenda eſſe ordinaria rei conficiendę adjumenta ſive media, non tamen nimium humanæ prudentię aut operæ fidendum. nam hoc perinde eſt, ac ſiquis ipſe ſolus omnia peragere, Deo autem nullas partes relinquere velit.

Sed etiam apud homines minùs gratiæ propterea invenire ſolent, adeóque ipſi ſibi ſæpè occaſiones maximorum operum præcidunt. Multi enim quo minus eos admittant, iisque Collegia ædificent, hoc potiſſimùm metu præpediuntur, ne nunquam ſatis habituri, ſed ſemper plus petituri ſint, donec nihil quod impetrare queant, reliqui fecerint. Nam tametſi gratis docent, nec quisquam ipſorum ullius rei Dominus eſt, quid hinc tamen Principes

Gratuita Ieſuitarũ opera.

ac pro-

ac provinciæ compendij lucríque faciunt, cùm aliter eorum opera uti non poſſint, niſi maximis impenſis Collegia eis exſtruant, & vectigalibus peramplis augeant? *Nemini lucro eſt.*

Præterea Monachos, aliosque viros doctos, qui egent, plerunque ſibi infenſos reddunt, cùm omnes hæreditates & legata ipſi captent, omnesque bolos cæteris præripiant. *Multis damno.*

Hæretici denique, cùm pecuniarũ in Collegia Ieſuitica ingredientium multa paſſim, egredientium verò nulla uſquam veſtigia videant, cóſque frugaliter vivere credant, neque in victum & amictum multum impendere ſciant, Theſauros ab ipſis cumulari, & rerum novarum ſive turbarum fundamenta jaci & adjumenta comparari ſuſpicantur, injuſtè quidem eos agere, qui inter opes jam paratas adhuc tam in petendo odioſi ſint, cęterisque egentibus obſtent, eamque ob rem odio dignos eſſe exiſtimant. *Eſt intolerabilis res poſcere nũmos & contemnere. Indixiſti pecuniæ odium: hoc profeſſus es, hanc perſonam induiſti, agenda eſt. Iniquiſſimum eſt te pecuniam ſub gloria egeſtatis acquirere*, ait Seneca 2. de vit. beat. *Hæreticis ſcandalo.*

Ieſuitas invisos facit ſuperbia. Odium quoque Societati parit, intolerabilis quorumdam Ieſuitarum typhus ſive faſtus, cùm quia Societas multos excellenti doctrina præditos viros habuit, continuò ſe quoque pro talibus haberi poſtulant, quaſi magnificè ſe circumſpiciant & conclament: *Nos poma natamus.* Itaque neminem jam pro oratore, Poëta, Philoſopho ac *Officinam & Monopolium ſapientiæ inſtituũt.* Theologo haberi volunt, niſi vel Ieſuita ſit, vel certè Societatis diſcipulus fuerit. Omnijugæ denique ſapientiæ officinam, imò Monopoliũ inſtituunt, neminíque vel minimæ doctrinæ opinionem, niſi eam Ieſuitis acceptam referat, relinquunt: eâque ſcientiæ per- *Alios omnes præ ſe contemnunt.* ſuaſione inflati doctiſſimo cuique ſuperciliosè imperare, eorum ſcripta nõ aliter, quàm claſſicorum ſuorum compoſitiones cenſuræ ſuæ vindicare, tyrannidem denique in literis exercere *Principũ gratiâ abutuntur.* audent. Quid quod Principum favore ad patrocinandum ſceleratiſſimo cuique, ſæpe non aliam ob cauſam abutũtur, niſi ut ſuam potentiam oſtentent? Vt nimirum alios in clientelam ſuam alliciant, quam manifeſtò noxiis utilẽ fuiſſe conſtiterit. Quin uſque eo amabilis illa inſania & dominandi libido

eos

eos agit, ut ſubditis adverſus magiſtratum ſtimulandis exemplo eſſe audeat, & Principes ſummos non in omnibus obſequio ſuo paratos contumelioſè tractent, cujus rei exempla in medium afferre poſſem, niſi ipſorum Principum exiſtimationi conſulendum putarem.

Odium Ieſuitis conſlat Curioſitas.

Poſtremò Curioſitas non poſtrema multorum adverſus eos odij cauſa eſt. Romæ quidem omnibus omnium rebus ac negotiis ſe admiſcent, & nihil ſeu ſacrum, ſeu publicum, ſeu privatū, niſi ſe interpretibus aut internunciis tranſigi volunt. Itaque qui Canonicatum, Abbatiam, Præpoſituram ambit, relictis rebus ad Ieſuitas advolat. In contrahendis rebus majoris paulò momenti, inque Nuptiarum conciliaturis, nihil felicius, niſi Ieſuitis proxenetis, tranſigitur. Pontifex denique Paulus V. in cura rei familiaris ſive conſtabiliendæ, ſive locupletandæ Ieſuitarum Procuratore utitur: quem etiam opinio eſt, tametſi faciem vix hominis habet, & nihil admodum literarum didicit, mox Cardinalem creatum iri, quia videlicet cum fœcundum pectus concuſſerit, inveniendi argenti tech-

Procurator Ieſuitarū apud Paulum V. gratioſiſſimus.

Quo merito?

nas inſtituere & difficultates nummarias expedire novit. Itaque non modò quotiescumque velit velo ſublato intrare, excluſis qui priores accerſiti venerunt, Principum Legatis, ſed etiam quos viſum ei fuerit alios ſecum introducere poteſt. Adeò præſtat acquirendarum pecuniarum, quàm animarum ſtudioſum & peritum eſſe, apud illos certè, qui cùm animarum Chriſti ſanguine redemptarum curam in ſe receperint, vel quid anima ſit neſciunt, vel non pluris animam hominis, quàm piſcis faciunt, quod credo ſuum officium Piſcatum quendam eſſe aliquando per ſtrepitum inaudierint: quibus propterea gratior fuerit, qui animam Auri cum Paracelſo, quàm animam Saxoniæ Electoris inveniſſe ſe nuntiet. Cùm ergo Ieſuitæ quoque in eorum cenſum veniant, qui aurum & argentum unde unde quo jure quáq; injuria eruere & cumulare ſciunt. (*Vnde habeas, quærit nemo: ſed oportet habere*, ait poëta) quomodo non πολλὰ πράττοντες ſive Ardeliones & Curioſi habeantur, qui quidem curam ſuam in negotia tam longè diverſa ſimul intendant? Nam tametſi Pontifex poteſtatem habet diſ-

Papa non poteſt cũ Ieſuitis diſpẽſare.

penſan-

penſandi de incompatibilibus, hoc eſt, eos legibus ſolvendi, qui ſimul Sacerdotia poſſident, quæ alioquin per leges ſimul poſſideri nequeunt: rurſum tamen diſertim Chriſtus negat, poſſe unum eundem hominem ſimul Deo & Mammonæ ſervire, ſive ſimul regnum Dei, & pecunias quærere. *Non poteſtis* (ait Apoſtolis) *Deo ſervire & Mammonæ. Ideò dico vobis, ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori veſtro, quid induamini: hæc enim omnia gentes inquirunt. Quærite autem regnũ Dei, & juſtitiam ejus.* Sic Apoſtoli ipſi, & qui Apoſtolis ſuccedit Pontifex ipſe, non ſimul poſſunt regnum Dei & pecunias quærere (nam *qui unum horum diligit & ſuſtinet, alterum odio habebit & contemnet*, ait Chriſtus) multò minùs hanc tantam plura ſimul curandi poteſtatem Ieſuitis Pontifex impartiri poterit. Viderint ergo Ieſuitæ, qui utriusque ſtudium & curam profitentur, aut certè non diſſimulant, quomodo iuſtum non Hæreticorum modò, ſed etiam Catholicorum odium effugiant. Mihi quidem jam multis abhinc annis minimè curioſitas eorum probari potuit, cũ adoleſcentes quos-

Vt ſimul Deo & Mammonæ ſerviant.

dam, amicorum meorum filios, quos Romæ ad Ieſuitarum Scholas deduxeram & in diſciplinam dederam, tam ſubtiliter & ſigillatim de omnibus, quę ad parentes, eorumque bona fortunasque pertinerent, examinatos comperi. Cùm enim putarem eos à ſtudiorum Præfecto ſeduci, ut eorum in literis profectus exploraretur, concluſi fuerunt in cubiculo quodam, ubi Ieſuita quidam magnum volumen, cujusmodi ſunt Menſariorum tabulæ, ſive acceptorum expenſarumque codices, protulit, in eumque omnia quæ rogati reſpondiſſent, magna cum fide perſcripſit. Quæſtiones porrò hujusmodi ferè erant: Quod ipſis nomen eſſet, quæ ætas, quas priùs Scholas adiiſſent: qui eſſent parentes, quæ illorum ætas, qui cenſus: haberentne prędia & fundos, & ubi, quas cognationes, conſanguinitates, affinitates, & utrum ex iis adhuc hæreditatum aliquarum acceſſionem ſperarent: tum utrũ ipſis eſſent ſorores, eæque innuptæ, & nubiles, an jam nuptæ & quibus. Hæc ubi mihi domum reverſi nuntiarunt adoleſcentes, non uſque eò obtuſus aut ſtupidus fui, quin illud, quod ſibi

Quomodo pueri ad Scholas Ieſuitarum accedentes examinari ſoleant.

cum ejuſmodi examinibus ac volumi-nibus volunt Ieſuitæ, planè perſpice-rem. Cùm enim poſtea ſupplemento opus eſt, juveneſque hortandi ut *eandem ire viam pergant, & eidem incumbere ſectæ*; tum nequaquam diu in delectu laborare attinet. Statim enim ad libros ejuſmodi conſultum itur, qui optima fide referunt, quos bene nummatos & amplorum patrimoniorum hæredes cooptare in Societatem poſſint, in promptuque eſt eis, ut dicant Terentij verbis: *In illis fructus eſt, in his opera luditur.* Itaque non multò poſt cùm adoleſcentulos illos prorſus nihil in Scholis proficere intelligerem; niſi quòd ſæpius fabellas aliquas ab oſcitãte magiſtro in lectionis loco recitatas domi referebant, ſimul etiam quod mihi alij quidam nobiliſſimi juvenes, qui in contubernio, & convictu Ieſuitarum vivebant, affirmaſſent, Pæderaſtian quotidianum inter Scholaſticos convictores peccatum eſſe, quod quidem ſi quis neſciret, vel ex ipſius Rectoris verbis, quibus ab eodem auditores dehortari minus prudenter ſolebat, id addiſcere poſſet: quemadmodum etiã alicubi in Germania Ieſuitis

Vtilitas ejuſmodi examinis.

Schola Ieſuitarum, pueris non multùm utiles.

Alicubi, etiam periculoſa.

Ob Ieſuitarũ imprudentiam.

in Confeſſione imprudentius ſciſcitātibus, adoleſcentes ad ejus peccati notitiam inductos, eâque occaſione integra penè collegia contaminata fuiſſe ex hominum ſpectatæ fidei teſtificatione mihi conſtat: propter has igitur aliasque cauſas nolui adoleſcentes illos deinceps in Scholas Ieſuitarum mittere, ſed præceptori eorum domeſtico, ut domi eos doceret, mandavi. Sed etiam illud Curioſitatis ſuſpicionem Romæ, atque haud ſcio an & alibi, conflare eis ſolet, quod complures primariæ matronæ tantùm non quotidie ad eorum Eccleſiam accedere, ibique non minus duabus, tribus horis deſidere, & cum confeſſariis ſuis ſerere ſermones ſolent. Et tamen veriſimile non videtur, eas quotidie tam multa peccare, quibus enumerandis tantum tempus ſit neceſſarium. Itaque cùm mulieres ſint futiles ac rimarum plenæ, neque res arcanas facilè continere ſciant, non videntur alio conſilio quotidie tam diu à Ieſuitis detineri, quàm ut ab iis multa expiſcentur & audiant: cùm præſertim ſe novarum rerum audiendarum cupiditate teneri non obſcurè ferant. Itaque certatim à maxi-

Fœminæ Ieſuitis quotidie confitentes.

Eos de curioſitate ſuſpectos faciunt.

maximo minimo quoque viſitantur, totosque ſæpe occupant dies in admittendis ſalutatoribus, quorum alij aliis ſuccedunt, ita ut ſæpè ſingulis vacare nequeant, ſed ferè comperendinent aut quamvis aliam diem eis conſtituant. Itaque opinio eſt plerorumque omnium, non eſſe ullum totius orbis ſive Regem, ſive Principem, qui perinde ac P. Generalis omnium, quæ in univerſo orbe, etiam apud antipodos aguntur, notitiam habeat: non modò quia Rectores ac provinciales per orbem totum diſperſi vi ſacramenti, quo ei auctorati ſunt, octauo quoque die ad eum ſcribunt, ſed etiam quia quotidie partim qui operâ ipſorum indiget, partim qui novi aliquid audire deſiderat, partim qui novarum rerum nuncium aliorum ſive literis, ſive ſermone accepit, ſive ad ipſum Generalem, ſive ad alios Ieſuitas advolat, qui quoniam non unius omnes nationis ſunt, adeoque partium ſtudium omninò deponere nequeunt, nequaquam falli ſe putant, qui ſingulos omnia ad nationis ſuæ commodum referre & Generalē eodem flectere conari ſuſpicantur, parumque adeò abeſt, quin

Ieſuitæ novorum audiendorum cupidi.

conferant in Ieſuitas, quod ante aliquot ſæcula Iohannes Sariſberienſis lib.7. cap.21. in quoſdam ſui temporis Religioſos ſcripſit: *Rumuſculos inquirunt, tumultibus gaudent, diſsidentium ſecreta explorant, & eadem nunc ad amicos perferunt, nunc ad hoſtes, utriſque grati, utriſque perfidi, magis tamen ad iſta videntur idonei* (nimirum ad ſecreta horum illis enuncianda) *qui ab imagine Religionis minus habentur ſuſpecti* (quis enim Princeps credat, ſuum ſecretum per Confeſſarium P. Generali apertum eſſe, eâq; viâ ad alios poſtea emanaſſe?) *Quid in Palatio, quid in foro, quid in agris expediat, ſoli creduntur noſſe, quia univerſa hæc præ cæteris videntur curare, qui iſtis jugiter immiſcentur. Si conveniant patres in Curia, cives in foro, milites in expeditione, ſi denique Concilium aut Synodus convocetur, præcipuam ſedium partem occupabit umbratilis iſta Religio. Arguunt clerum de moribus corrigendis, ſolicitant Principatus & poteſtates: teſtimonium ſibi acquirentes juſtitiæ ſuæ, ſi vitæ detrahant alienæ. Laudabilium virorum Collegia expetunt, arduas ſubeunt profeſſiones, oſtentant difficilia, & familiarius ſibi propitij poſſibilia & quæ humaniora ſunt, exſequuntur. Nec tamen*

Deſcriptio Ieſuitarum ante quingentos annos facta.

Curioſitas.

Solicitudo in reformandis clericis & Monachis.

Cupiditas Monaſteriorum.

men à fraude iſtorum, religionis veræ diminuitur gloria. nam indubitanter omnibus conſtat, quia nomina, quæ profitentur & quorum pollicentur officia, honeſtiſſima & fideliſſima ſunt. Facie pallorem oſtentant, profunda ab uſu trahunt ſuſpiria, obſtipo capite, coma breui, capite ferè raſo, vocè demiſſa, inceſſu tranquillo, & quaſi greſſu quadam proportione compoſito, pannoſi, ſordes veſtium & affectatam venditant vilitatem, ut eò facilius aſcendant, quò ſe ſtudioſius videntur in locum noviſſimum deieciſſe, & qui ſponte ſuâ decreſcunt, creſcere cõpellantur inviti. Hi ſunt, qui Poteſtatibus perſuadent, ut propter vitia perſonarum jure ſuo priventur Eccleſiæ. Decimationes & primitias Eccleſiis ſubtrahunt, & Eccleſias ipſas accipiunt de manu Laicorum. Hi ſunt, qui prædia avita ſubtrahentes indigenis, vicos & pagos redigunt in ſolitudinem, & in ſuos uſus vicina quæque convertunt, Eccleſias diruunt aut in uſus revocant ſæculares. Quæ domus orationis fuerat, aut efficitur ſtabulum pecoris, aut opilionis aut Lanificii officina. Et quidem maiora impunè faciunt, & quaſi cornibus geminæ poteſtatis Eccleſiam, in cujus ſinu quieſcunt & proteguntur umbra, ventilare non ceſſant. Ad Eccleſiam namque Romanam confugiunt: implorant

Sancta eſt eorũ profeſſio.

Non item hypocriſis.

A principibus ſæcularibus poſtulant ſibi tradi Monaſteria.

Alicubi in Hiſpania jam habent equile, ubi prius cuſtodiebatur corpus Chriſti.

A Ponti-

ſice obtinent quæcumque volunt privilegia

opem ejus, protectionis impetrant clypeum, ne cujusquam poſſint malignitate vexari, & ut ſe poſſint plenius exhibere, ne decimas dent, Apoſtolico privilegio muniuntur. Procedunt ulterius, & quo ſibi plura impunè liceant, à juriſdictione omnium Eccleſiarum ſe ipſos eximunt, & efficiuntur Romanæ

Et à ſæcularibus principibus fouẽtur.

Eccleſiæ filij ſpirituales. Deinde ſæcularium poteſtatum implorant auxilium, & eis divinam gratiam pollicentur. Eos qui veniâ indigent, ſuis aggregant SOCIETATIBUS, confeſſiones excipiunt, ligare præſumunt &

Divites facilius à peccatis abſoluũt.

ſolvere. Potentiores tamen & ditiores, favore vel mercede receptâ, facilius exonerant, & peccatis alienis humeros ſupponentes, jubent abire in tunicas & veſtes pullas, quicquid illi ſe commiſiſſe deplorant.

Eorumq; moribus aſſentantur.

Conſentiunt ergo moribus iniquis, & popularem provocantes affectionem aſſentationibus obturant aures hominum, ne increpationes audiant Prælatorum. Si eis obloqueris, Re-

A nemine volunt reprehendi.

ligionis inimicus, & veritatis diceris impugnator. Feras itaque patienter, ſi injurias & damna intulerint, qui licentiam omniũ Apoſtolicâ & regiâ auctoritate obtinuiſſe

Idq; ſuis meritis deberi putant.

videntur, nam & hoc meritis eorum deberi creditur. Circumeunt ergo Eccleſias, COLLEGIORUM ſuorum merita præconantur, abolitiones criminum portant, & interdum

prædi-

prædicant Euangelium novum, adulterantes verbum Dei. Primò quidem dum eorum Religio paupertate gaudebat, & in aliorum neceſſitates aut uſus effundebat viſcera ſuæ inopiæ, indulta ſunt privilegia profeſſionibus, quæ neceſſitate jam ceſſante & frigeſcente charitate potius avaritiæ, quàm religionis inſtrumenta creduntur. Ecce enim quia omnes hi privilegiati quæ ſua ſunt, quærunt, & IESUS *qui prædicatur in publico aut omnino abeſt, aut in abditis latet.* *Ieſus qui prædicant apud eos non videtur.* Hæc & alia Sariſberienſis.

Hæc igitur ferè ſunt, quæ Ieſuitas Hęreticis offenſos reddere ſolent, quę quoniam plus in oculos incurrunt, quã virtutes, celerius etiam excipi & divulgari ſolent. Nam & virtutes ab iis, qui eas habent, ferè diſſimulari ſolent propter vitandum ſuperbiæ periculũ, & actiones virtutum calumniam ſæpè effugere nequeunt, ut res præclarè geſtæ non bono conſilio ſuſceptæ videãtur. *Ieſuitarũ multorũ virtus aut ignoratur,* *Aut calumniam ſuſtinet.* Hominum porrò plerorumque ingenium eſt, ut errata aliorum etiam minima perſcrutentur, benefacta verò quamvis in propatulo poſita prætereant, quemadmodum vultures corpora viva ac ſana non ſentiunt, morticina verò ſive cadavera, tametſi longè

remota, odore perſequuntur. Multos quidem Societas Ieſu habet viros ſine omni malitia, non paucos etiam cùm doctrina, tum virtute minimè vulgari præditos, ſed ij niſi vel libris editis ingenij ſpecimen dederint, vel familiari uſu perſpecti fuerint, in obſcuro latét. Ferè autem ſolent officiis majoribus non tam ij præfici, qui vel eruditione vel ſanctitate pollent, quàm qui audétes ſunt & firma fronte præditi, minimeque incallidi. Nam cùm ſibi propoſitum habeant, magnas opes colligere, quibus nempe velut maximè idoneo gerendarum magnarum rerum inſtrumento (ut dixi) utantur, homines autem literis deditì & ſimplices plerumque, nec animi nec ingenij ſatis habeát ad captandas hæreditates & petendas majores ſummas, rectè provinciam hanc iis demandant, quibus quantumvis magna poſtulare nulla ſit δυσωπία, neque ſemel ſæpiusque repulſi iterum redire dubitent, & momenta atque articulos omnes commoditatis teneant.

Boni & docti non ita ſæpe ad officia producuntur.

Sed qui ſunt calliores.

Et qui frontem perfricuerint.

Ab iis porrò cùm quid peccatur (quod quidem maximè humanum eſt, nec omninò caveri poteſt) duo ferè

ſunt, quæ ex eo uſuvenire ſolent. Vnū, ut continuò obſervetur & in ora vulgi perveniat. *Id enim profectò omnes novimus,* (ait Xenophon in Ageſilao) *quicquid viri celebres egerint, occultum eſſe non poſſe:* id quod etiam Poëtæ verſiculi confirmant: *Talium peccata ſtatim vulgātur.*

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.

Alterum, ut id quamvis exiguum malevolentia hominum amplificet, & ex muſca, quod aiunt, elephantum faciat. Itaque hujuſmodi hominibus in excelſo ſive dignitatis ſive exiſtimationis collocatis ſalutare præceptum hoc inſtillat Seneca 1. de Clem. cap. 8. *Et ab malevolis exaggerantur.*

Alia conditio eorum eſt, qui in turba, quam non excedunt, latent: quorum virtutes ut appareant ac videri poſſint, diu luctantur, & vitia tenebras habent. Veſtra facta dictaque rumor excipit: & ideo nullis magis cavendū eſt, qualem famam habeant, quàm vobis, qui qualemcumque merueritis, magnam habituri eſtis. Bononiæ Kal. Decemb. anno 1610. *Itaque Ieſuitæ maximā bonæ famæ curā debent gerere.*

III.
AVGVSTINI ARDINGHELLI PARADOXA IESVITICA,

Hoc eſt

Impiæ, nefariæ, ſcandaloſæ & peſtiferæ Ieſuitarum Germanicorum ſententiæ adverſus omnes Religioſos Ordines.

Quarum omnium neceſſaria, ſolida & modeſta refutatio continetur in Congeminata voce Turturis Dominici Gravinæ *Theologi Dominicani Neapoli nuper editâ.*

ANNO M. DC. XXXIII.

CAPVT I. PARADOXORVM.

Continet diffamationem Religioſorum per aſſertionem ſcandalorum.

1. IN Religioſis Ordinibus gravia, multiplicia & orbi univerſo nota ſcandala reperiuntur. Ita Cardinalis Bellarminus ſcribit in *Gemitu Columbæ* & P. Iacobus Keller in *Cauea Turturis.*

II. Pro-

II. Proinde talia eorum ſcandala ſunt publicanda, quando de illis eſt fama publica, & Regulares lapſi de illis non ſatisfecerint.

III. Iuſtiſſimè infamari poſſunt Religioſi, quando ipſi propriam famam prodigunt. Nam & juſtiſſimè peccator hâc quoque pœnâ mulctatur, ut qui beſtiis aſſimilatur, famæ etiam dignitate privetur.

IV. Ex ſtudio emendationis & ſpiritualis profectus gratiâ ex Doctorum ſententia, licitum eſt aliorum defectus recenſeri. Rectè quoque pronuntiari poteſt, ex Religioſis laxis paucos ſalvatum iri, eo quod rarò contingat, ut ſolidè reſipiſcant.

V. Diſputando contra Hæreticos non poſſumus Religioſorum defectus manifeſtare; poſſumus autem, cùm parænetice loquimur, ſive cùm eos ad pœnitentiam hortamur.

VI. Quare tunc defendendi ſunt Religioſi Ordines, cum aliquis profectus vel emendatio ſpectatur.

CAPVT II.

Deflorationem & relaxationem Religioſorum Ordinum comminiſcitur.

I. IN Ordinibus Religioſis non Centuriæ, ſed nec Decades perfectorum numerari

poſſunt: ac proinde non niſi cum ætatis noſtræ dedecore antiquiorum agmina recenſentur, cùm hodiernorum Religioſorum mores ſint veteribus ſanctis tam diſſimiles.

II. Minimè floridus eſt hodiernus Religioſorum ſtatus.

III. Pauci Religioſi hodie ſunt mundo crucifixi.

IV. Adeò infœcundæ hodie ſunt Vineæ Religioſorum, ut vix racemi colligi poſſint.

V. Religioſi Ordines cùm ante, tum poſt Concilium Tridentinum deformati.

VI. Flammis ardet antiqua portio domus Chriſti, veterum ſcilicet Ordinum.

VII. Vix ſeni aut deni produci poſſunt ex univerſis Religioſorum Chronicis, qui in Teutonico Imperio doctrina aut ſanctitate floruerint.

VIII. Hæretici in opinione ſua confirmantur, quòd in Religioſis Germaniæ Ordinibus nihil generoſum & excellens, ſed meri pepones, allia & naſturtia naſcantur.

CAPVT III.

Continet inhabilitatem Religioſorum ad miniſterium Verbi & Sacramentorum.

1. Pauci

I. PAuci reperiuntur in Religionibus mẽdicantibus apti ad miſſiones & converſionem Infidelium.

II. Aliorum Religioſorum multitudo aliorſum velificat,& non curat de Infidelium converſione.

III. Ad perfectionem non properant, qui pauculis ſæcularibus convertendis inſiſtunt.

IV. Vbi non eſt Ordo Ieſuitarum, non apparet frequentatio Sacramenti Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, nec rudium Catechiſmi: nec ab aliis Religioſis hæc & alia ſpiritualia exercitia ſupplentur, ubi Ieſuitæ deficiunt.

CAPVT IV.

Religioſos Ordines ſugillat de Virtutum Carentia, deque ipſorum deformatione & numero damnandorum.

I. IN magna hominum multitudine mortificatio, humilitas, pax & animorum concordia diu conſervari non poteſt. Id enim neque in hanc uſque diem factum eſt, neque fiet.

II. Semel collapſus Ordo nunquam aut

vix reformari poteſt,& Reformatio non ob leves vel paucorum defectus introducitur.

III. Olim Religioſi Ordines ſic potuerunt efflorefcere, ut toti eſſent abſque ruga & macula, totique ex vivis membris conſtarent. Immò in omnium initiis totus Ordo erat immunis à culpis, quia nuſquam bona arbor malos fructus producit.

IV. Pauciſſimi Religioſi piè victuri ſunt aut ſalvabuntur: plurimi ſalutem perdent.

Caput V.

Religioſorum Ordinum ſplendorem obfuſcat, extenuando gratiam Martyriorum, miraculorum, viſionum & revelationum, ſimiliterque officiorum & dignitatum, quæ ad Religioſos deferuntur.

I. NOn demonſtrant florentem Ordinum ſtatum palmæ eorum, qui pro Chriſto obierunt,& in Chronicis Ordinum leguntur. Nam ex morte à Barbaris illata vel Hæreticis, & ipſo Martyrio non colligitur præcedentis ſanctitatis teſtimonium,cũ alio fine, quàm Chriſti cauſa occidi potuerint,nempe ex occidentium avaritia,ex metu reipub. vel ſtatus per Religioſos evertẽdi, ex ipſo-

ex ipſorum occiſorum temeraria provocatione, vel voluntaria oblatione.

II. Inaniter recenſentur ad Hæreticorum confuſionem Miracula, Martyria, duritia & rigor vitæ vel pœnitentiæ in Religioſorum Chronicis deſcripta, cùm hæc illi pro ſuperſtitionibus & ſomniis habeant.

III. Hodie apud Religioſos Viſionum & Divinationum inſolita emerſit audacia, prout quiſque magis ſe à publico contrahit & orationi intentus eſt.

IV. Ad faſtum & ſpumas hujus ſæculi pertinent Doctorum & Inquiſitorum tituli: ac propterea eorum executiones, prærogativæ & privilegia commendari non debent.

V. Ad Ordinũ ſplendorem nihil faciunt, qui ex iis ad Epiſcopatus, Cardinalatus & Pontificatus aſſumuntur.

VI. Ab Epiſcopatu oculi avertendi ſunt ut à fœminis.

VII. Religioſos ad Epiſcopatum, Cardinalatum & Pontificatum aſſumtos non niſi lixæ & calones venerantur: eorumque memoria tabernas, circulos & Sympoſia exhilarat.

VIII. Præſtat fructus, qui à Religioſis exaltatis in Eccleſiam redundant, ab infirmis piè ignorari.

Caput VI.

Aſperitatem vitæ Religioſorum & pia exercitia explodit.

I. Vigiliæ, preces, lacrymę, triſtiores inediæ, ſetoſa ſtragula, aſſidua verbera, & quicquid aſperitatis Regula ; vel cujuſque devotio excogitaverit, hæc omnia cum ſpiritu Acediæ conſiſtunt.

II. Perfectio Religionis non ex auſteritate metienda eſt, etiamſi ad finem iuvandi proximi dirigatur, quomodo Paulus ſuæ auſteritatis finem eſſe prædicat, ut proximi per eam ſalvi fiant & perficiantur, 2. Tim. 2. *Omnia ſuſtineo propter Electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur cum gloria cæleſti*, Coloſſ. I. *In carne mea adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti pro corpore ejus quod eſt Eccleſia. Docemus omnem hominem in omni ſapientia* (verbi & operis) *ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto: cujus rei cauſa & laboro, certando* (bonum certamen, & ab omnibus me abſtinendo, I. Corinth. 9.) *ſecundùm operationem ejus quam operatur in me per virtutem* ſeu potentiam ſuã. Ita docemur opera externa Mortificationis & Auſteritatis eſſe opera Miſericordiæ Spiritualis, & quidem efficaciora magis ædificatoria,

ſtoria, quàm opera eorum, qui tantùm Verbi & Sacramentorum miniſteria proximos iuvant.

Caput VII.

Continet Canones novos antiquis Sanctorum Canonibus contrarios circa qualitatem eorum, qui ad Religionem admittendi.

PRudentium vox eſt, eos qui inepti ſunt ad ſecularia negotia neque Ordini Religioſo multùm conferre poſſe.

II. Ante decimum octavum annum non ſunt Tyrones ad Religionem admittendi.

III. Non ſunt etiam recipiendi in Religioſum Ordinem, qui animo ſunt valetudinarij, ſed ſani tantùm & valentes ſpiritu.

Caput VIII.

Continet grauiſſima dicteria contra veterum Ordinum Religioſos.

FAmiliaritas incauta cum Hæreticis & cum iiſdem Colloquia, non modò Monaſteria, ſed & integras Ordinum provin-

cias exhauſerunt, & lectiſſimam Eccleſiæ portionem in Tartari ſpolia verterunt.

II. Perditorum hominũ auctor tam Religioſus eſt, quàm Hæreticus. Ille poſuit ova, hic excluſit: iſte tibiâ cecinit, ille ſaltavit: unus Sirenas & Saliaria invexit, alter cupidus invaſit. Sicam Hæreticus ſub oſculi blandimentis lateri infixit, Monachus ictum non cavit.

III. Hæretici Ieſuitas proſcribunt, alios Religioſos benignè retentos alunt. Non enim mordent lapidem, qui eos non ferit. Originem ſuam agnoſcunt; eique cognatam ſobolem odiſſe non poſſunt.

IV. Multi in habitu Monaſtico damnantur, & ſpecie recti fallimur. Quid enim lateat in corde, tentatio prodit. nam & Eremicolas legimus continuæ orationis & ſeveriſſimæ vitæ, & tamen Severiana labe corruptos, à regno cœleſti extorres.

Caput IX.

Pontificem Privilegiorum largitorem ſugillat de indiſcretione & ingratitudine.

I. SOcietas Ieſu ampliora, quàm habet, Privilegia meretur.

II. Ta-

II. Talia Privilegia non debent aliis cõmunicari, qui non ſunt æquè promti & indefeſſi animarum Medici, ſicut Ieſuitæ.

III. Pontifex non debet auferre conceſſa Ieſuitis Privilegia, ne ſimiliter Ingrati crimen incurrat, ut Demetrius, qui favores Ionathæ vertentibus annis revocavit.

CAPUT X.

Continet multa Sanctorum Patrum dictis & Eccleſiaſticæ doctrinæ repugnantia.

I. NOn in omni Congregatione poſſunt mali eſſe bonis admixti. Nam Societas Ieſu tota eſt abſque ruga & macula totaque ex vivis membris conſtat.

II. Nuſquam bona arbor malos fructus profert, ac propterea omnes Religioſi Ordines ſub initia conſtabant ex meris bonis ſine ulla malorum mixtura.

III. Hoc aliis Religioſis Ordinibus præſtat Societas Ieſu, quod habet aromata à putredine præſervantia, ac propterea non eſt periculum, ne poſt aliquot annorum centurias perinde ut alij Ordines degeneret, quodque nunc eſt, eſſe deſinat.

Quam verè autem ita glorientur Ieſuitæ,

cias exhauſerunt, & lectiſſimam Eccleſiæ portionem in Tartari ſpolia verterunt.

II. Perditorum hominũ auctor tam Religioſus eſt, quàm Hæreticus. Ille poſuit ova, hic excluſit: iſte tibiâ cecinit, ille ſaltavit: unus Sirenas & Saliaria invexit, alter cupidus invaſit. Sicam Hæreticus ſub oſculi blandimentis lateri infixit, Monachus ictum non cavit.

III. Hæretici Ieſuitas proſcribunt, alios Religioſos benignè retentos alunt. Non enim mordent lapidem, qui eos non ferit. Originem ſuam agnoſcunt, eique cognatam ſobolem odiſſe non poſſunt.

IV. Multi in habitu Monaſtico damnantur, & ſpecie recti fallimur. Quid enim lateat in corde, tentatio prodit. nam & Eremicolas legimus continuæ orationis & ſeveriſſimæ vitæ, & tamen Severiana labe corruptos, à regno cœleſti extorres.

Caput IX.

Pontificem Privilegiorum largitorem ſugillat de indiſcretione & ingratitudine.

I. Societas Ieſu ampliora, quàm habet, Privilegia meretur.

II. Ta-

II. Talia Privilegia non debent aliis cō-municari, qui non ſunt æquè promti & indefeſſi animarum Medici, ſicut Ieſuitæ.

III. Pontifex non debet auferre conceſ-ſa Ieſuitis Privilegia, ne ſimiliter Ingrati cri-men incurrat, ut Demetrius, qui favores Io-nathæ vertentibus annis revocavit.

CAPUT X.

Continet multa Sanctorum Patrum dictis & Eccleſiaſticæ doctrinæ repugnantia.

NOn in omni Congregatione poſſunt mali eſſe bonis admixti. Nam Socie-tas Ieſu tota eſt abſque ruga & macula tota-que ex vivis membris conſtat.

II. Nuſquam bona arbor malos fructus profert, ac propterea omnes Religioſi Or-dines ſub initia conſtabant ex meris bonis ſine ulla malorum mixtura.

III. Hoc aliis Religioſis Ordinibus præ-ſtat Societas Ieſu, quod habet aromata à pu-tredine præſervantia; ac propterea non eſt periculum, ne poſt aliquot annorum centu-rias perinde ut alij Ordines degeneret, quodque nunc eſt, eſſe deſinat.

Quam verè autem ita glorientur Ieſuitæ,

vel hinc explorato judicari poteſt, quod ipſe Societatis Patriarcha Claudius Aquaviva librum ſcripſit, quem vocat *Induſtrias de curandis Societatis morbis*, qui Romæ exiit anno 1616. cujus pag. 97. cap. 15. iſta legimus: *Sæcularitas & Aulicismus, inſinuans in familiaritates & gratiam externorum, Morbus eſt in Societate & intra* (ipſis Ieſuitis) *& extra* (Principibus & ciuitatibus) *periculoſus, & iſtis qui eum patiuntur, & nobis* (ſuperioribus) *ferè neſcientibus paulatim ſubintrat*, SPECIE *quidem* (ac fallaci prętextu) *lucrifaciendi Principes, Prælatos, Magnates, conciliandi ad divinum obſequium hujuſmodi homines Societati, juvandi proximos* (id eſt, ſimulamus noſtrum Finem eſſe maiorem Dei gloriam & Spiritualem proximorum ſalutem) *ſed* REVERA *quærimus interdum nos ipſos, & paulatim ad ſæcularia deflectimus*, id eſt, more Aulicorum & ſæcularium opes & honores nobis conficere habemus propoſitum, adeoque Caritas Dei in nobis non eſt. Caritas enim non quærit, quæ ſua ſunt. In quo verò non eſt Caritas, non eſt vivum Chriſti membrum, ſed jam eſt mortuus, etſi nomen habet quod vivat: & qui Mammonam diligit, eique ſervit, idem Deum odit & contẽnit. Vbi ergo ſunt remedia illa à putredine præſervantia? Si Superiores ipſi non præmuniuntur, quin putiſcant & moriantur, ſive

ex Religioſis ſæculares & Aulici fiant, ſuoſque honores & utilitates ſub pietatis & caritatis ſpecie aucupentur: quanto magis cæteros Ieſuitas putorem nanciſci oportebit? *Qualis* enim *eſt Rector civitatis, tales & inhabitantes in ea*, Eccl.10. Similis ejuſdem Aquavivæ confeſſio & querela legitur in *Inſtructione pro Superioribus Societatis ad augendum in Societate Spiritum*, qui liber Romę eodem anno fuit editus, cap.1.pag.11. *Eſt & alia malorum radix longè periculoſiſſima, eoque periculoſior, quò minùs vulgo noxia cenſeri ſolet* (id eſt, à Ieſuitarum majore parte pro peccato non habetur) *rerum ſcilicet externarum occupatio* (id eſt, Auliciſmus & ſæcularitas) *in quam Superiores* VT PLURIMUM SUPRA MODUM *effundi ſolent. Per* SPECIEM *proximos lucrifaciendi multis ſeſe Viſitationibus implicant, iiſque non modò non neceſſariis, ſed etiam parum utilibus: atque in his ita verſantur, ut à ſæcularium moribus parum abſcedant*, id eſt, ut inter pleroſque Societatis Superiores & inter Aulicos vix quicquam ſit diſcriminis, cum avaritia, ambitione, hypocriſi, ſimulatione & adulatione æquè utrique teneantur. Et tamen cùm hæc in luce publica exſtarent, & ab univerſo orbe ſpectarentur, ſolus Bellarminus id non vidit, totus videlicet in Benedictinorum, Dominicanorum, Franciſcanorũ, aliorumq;

Monachorum vitioſitate ac diſciplinæ relaxatione ſpectanda occupatus, quem tamen ut Hominem humani aliquid in eo paſſum eſſe nemo nec miratur, nec ſtomachatur, nec de cæteris ejus laudibus quicquam propterea detractum velle debet.

APPENDIX.

Ex Placida diſceptatione, juſta defenſione, aliiſque famoſis Ieſuitarum libellis.

Continet alias ſententias ad infamiam, detrimentum & abolitionem atque interitum veterum Ordinum Religioſorum pertinentes.

I. Antiqui Ordines Eccleſiam Catholicam, Chriſti ſponſam, templis, ornamentis, juribus ac bonis ſuis tam ſpiritualibus quàm temporalibus, atque etiam multis filiorum millibus ſpoliarunt.

II. Fateri candidè oportet à NULLO genere hominum (*adeoque nec ab ipſis Hæreticis*) majus Eccleſiæ Catholicę damnum fuiſſe illatum, quàm ab antiquis Ordinibus.

III. Antiqui Ordines FUERUNT ALIQUANDO Sancti & Eccleſiæ ac Religionis Catholicæ propugnatores & propagatores, ſed

ſed opulentiâ & otio corrupti tales eſſe deſierunt.

IV. Antiqui Ordines ſunt Agricolæ, qui Vineam Dei ſibi commiſſam, quantum in ipſis fuit, vaſtarunt & funditùs deſtruxerunt.

V. Antiqui Ordines meriti ſunt, ut ipſis amotis Vinea Dei elocetur aliis Agricolis, nempe Ieſuitis, qui reddent fructum temporibus ſuis, & habent Aromata, quibus Societas ab omni putrefactione præſervetur. In Societate enim non modò NUNQUÀM defuerunt, ſed etiam in poſterum nunquam deerunt MULTI viri doctrinâ, prudentiâ, virtute atque Apoſtolico Spiritu præditi, & Hæreſes profligare ac Religionem propagare promti ſemper & parati.

VI. Hæretici contendunt, Monaſteria non eſſe condita pro Monachis, quales hodie ſunt, inutilia nempe terræ pondera, ventres pigri & ſtupidæ pecudes, ſed ad ſuſtentationem eorum, qui publicam Eccleſiæ utilitatem meliùs & efficaciùs procurant, eorum ſcilicet, qui curam animarum ſuſcipiunt & juventutis diſciplinam. Et iſta Hæreticorum ſententia vera eſt & laude digna, & à Catholicis meritò perpendi ac reipſa perfici debet: ac propterea Pontifex & Imperator in conſcientia, obligantur Monaſteria Ordinibus ademta ad Ieſuitas trans-

ferre, & in Scholas, Collegia & Seminaria convertere.

VII. Etſi Cęſar compluribus literis Pontifici ſignificandum curavit, ſe Edicto publico juſſiſſe, ut Monaſteria iiſdem Ordinibus, quibus olim erepta fuerant, à Proteſtantibus reſtituantur, nec ſalvâ conſcientiâ, & ſine ſacrilegij ac perjurij crimine poſſe permittere, ut Monaſteria ſic reſtituta vel Cardinalibus in Commendam dentur, vel Epiſcoporum menſis incorporentur, vel penſionibus graventur, vel alij alicui Ordini ſub majoris boni pretextu concedantur; etſi etiam Pontifex per Breve Apoſtolicum, & per Nuntium ſuum *hanc Cæſaris reſolutionem* tanquam pię liberalitati ejus conſentaneam & Catholicę Religioni inſtaurandę idoneam magnoperè laudavit, & nihil Romę contra eam tentatum iri promiſit: certum tamen eſt, *talem Cæſaris reſolutionem eſſe temerariam, erroneam, principiis fidei Catholicæ contrariam, & graviore cenſura*, ſive excommunicatione, *dignam, quippe quæ Eccleſiaſticam immunitatem lædat, ſedis Apoſtolicæ auctoritatem & jura imminuat, Eccleſiaſticas cauſas ad forum Cæſaris trahat, & Pontifici leges in ea præſcribat.* Iſta eſt ſententia Guil. Lamermanni Confeſſarij Cęſaris, Adami Conzen Confeſſarij Ducis Bavarię, & Bavarorum ac Suevicorum Ieſuitarũ,

velut

velut in libris eorum videre eſt. in *Placida diſceptatione*, columna ſeu facie 6.15.24. & 34. in *juſta defenſione* pag.325. & in præfat.numero 27.13.

VIII. Etſi Cæſar eodem Edicto ſuo declaravit, Ordines antiquos tanquam ſpoliatos & legitimos accuſatores juſtè petiiſſe ſibi reſtitui Monaſteria à Proteſtantibus erepta, & Aſſeſſores Imperialis tribunalis Spirenſis, tanquam legitimos Iudices rectè judicaſſe, dum Proteſtantes condemnarunt ac Monaſteria Ordinibus reſtitui juſſerunt, idemque eos porrò quoque facere & Ordinibus jus reddere juſſit: etſi etiam Pontifex per Breve Apoſtolicum iſtam Cęſaris declarationem ratam habuit, approbavit & benedictione ſuâ proſecutus eſt: certum tamen eſt neque Ordines antiquos Monaſteria recuperandi ullum jus ullamque actionem habuiſſe: neque aut Cæſarem aut ejus loco tribunal Spirenſe talium cauſarum legitimos eſſe Iudices, quippe quæ Eccleſiaſtici juris ſint & ad Pontificis tribunal pertineant. Ita contentioſiſſimè Ieſuitæ docent in *Iuſta defenſione*, pag.13.19.16.402.

IX. Malam ſpeciem non cavent, ſeque indignum faciunt Antiqui Ordines, cùm intercedunt & impediunt, ne ipſorum Monaſteria Ieſuitis dentur, quia *Viri Religioſi ita*

animo comparati eſſe debent, ut ſi ſua ſibi eripiantur, de Rapina bonorum gaudeant. Ita perſpicuè docent Ieſuitæ in *Placida diſceptatione* columna 23.

x. Etſi Pontifices Innocentius III. Clemens V. Nicolaus IV. & Benedictus XII. Bullis ſuis declararunt, Monachos Benedictinos Patris ſui Regulæ ſatisfacere *& ad ſalutis profectum tendere*, ſi tribus, immò etiam ſi quatuor cujuſque hebdomadę diebus quocumque Carnium genere veſcantur, cùm ſub ipſa Ordinis initia in Gallia & Germania ferinas aliasque carnes à Monachis mãducari ſolitas eſſe conſtet, Deo ſubinde miraculis id comprobante, nec dubium ſit, S. Benedictum Abbatibus jus impertitum eſſe, omnia Regulæ ſuæ præcepta ſecundùm ſupremam Caritatis legem moderandi & ad ſalutem animarum dirigendi: certum tamẽ eſt, *Pontifices ſine ulla neceſſitate aut publica utilitate, Benedicti Regulam noxiâ diſpenſatione relaxaſſe & Monachorum concupiſcentiæ attemperaſſe, ut mollius haberentur*, ſicque poteſtate ſuâ non ad ædificationem, ſed ad Ordinis Benedictini, & proinde ad totius Eccleſiæ deſtructionem abuſos eſſe, hoc eſt, Diaboli potius, quàm Dei voluntatem feciſſe, ac propterea *in exſecratione ac maledicto eſſe.* Ita ſine circuitione Ieſuitæ contendunt *Placida Diſcepta-*

ceptationis col.16. & 22. unde non vereor, ne cui intelligenti dubium ſit, quin locus nunc fiat ei quod Proverb.29. exſtat: *Qui delicatè à pueritia nutrit ſeruum ſuum, poſteà ſentiet eum contumacem.* Et Iſai.1. *Filios enutrivi & exaltavi: ipſi autem ſpreverunt me.*

XI. In Monaſteriis hodie vetus Regula laudatur, novis moribus vivitur: pronæ in caſum animæ pendent. Sunt ibi ulcera, vulnera, putredines. Phariſei Monachi domum orationis verterunt in ſpeluncam latronum. Diſciplinam laxarunt, nec in illis primus ſpiritus & integræ Regulæ obſervantia viget, nec ullus eſt in Germania & Italia Benedictinus, qui Benedicti Regulam ſervet, adeoque jure à ſuis Monaſteriis poſſunt expelli. Societas Ieſu contrà hodie viget ac floret, inque prima Regula fundatoris ſui ſtat: nihil de priſtino rigore lenivit, nihil novæ laxitatis admiſit. Conſtitutiones regulæque accuratè ſervantur, nulla antiquata eſt, omnes in uſu ſunt, contra nullam impunè delinquitur: paupertas etiam reddita eſt adſtrictior. Ieſuitæ denique multò majorem, quàm Monachi, à Deo gratiam merentur, & in ſe ipſis experiuntur, ita ut ſine ulla corporis mortificatione dies totos cum fœminis & pueris atque ephebis, Phœbo & ſorore Phœbi pulchrioribus, impunè verſari poſſint, nec ul-

lam carnis tentionem ſentiant, quantá Dei gratiam nec Apoſtolus Paulus obtinere potuit. Iſta omnia plenis buccis Ieſuitæ prædicant, ut videre eſt *Placidæ diſceptat.* col.7.11. 13.14.16.17.18.22.25.28.38.& 41.& *Iuſtæ defenſ.* pagin.388.132.133.144.189.207.323. Sed & ipſe Societatis Patriarcha Mutius anno 1616.literis ad omnes Ieſuitas datis ita prædicare nō erubuit: *Ex ſingulari præpotentis Dei gratia* (qua ſcilicet ſolam Societatem Deus complectitur, qui non fecit taliter omni Monachorū nationi) *conſiſtit etiam num in ipſo Societatis corpore ſpiritus ille, quo primùm animata coaluit, iſque non modò non emortuus, ſed etiam valens ac vegetus.* Quàm porrò vera ſit Phariſaïca iſta de Spiritu & gratia Dei gloriatio, vel hinc exiſtimari poteſt, quod eos improbiſſimè ſcientes ac volentes de Monachis mentiri, ipſa eorum confeſſione luculentè demonſtrari poteſt. Ipſe enim Adamus Conzen Placidę diſceptationis ſcriptor Politicorum libro ſexto capite undecimo totidem verbis de Germanię Monáchis teſtatur: *Veteres Religioſorum familiæ priſtinam integritatem rigoremque receperunt, & in dies magis magiſque eſfloreſcunt, magna ſpe meliorum temporum, cùm tam* SANCTA, *fortia, Deo ſacratiſſima* (Monachorum) *pectora caliginoſo ſæculo monſtrent contemnere ſæculi pompas, & ſeſe pro nobis apud Deū inter-*

interponant, id eſt, *ſtent pro terra oppoſiti contra Deum, ne diſſipet eam*, ut de hominibus ſanctis & perfectis loquitur Deus Ezec.22. Similiter & P. Paulus Laiman, inveteratus ille malorum dierum, nulliusque fidei, conſcientię & pudoris Phariſęus, in Appendice *Iuſtæ defenſionis* pag.27. ſereniſſimi & religioſiſſimi Principis Guilhelmi, Bavarię Ducis ad fratrem ſuum literas recitat, in quibus ille Monachorum Germanorum ſanctitatis oculatum teſtem his ipſis verbis ſe profitetur: *Nuper in Sueuia maiorẽ partem & præcipuorum quidem Monaſteriorum meis ipſe oculis tali modo reformata, & in tam egregio ſtatu vidi, ut magna inde lætitia cor mihi perfuſum fuerit. Quoties ad eiuſmodi bene reformatum Monaſterium deveni, viſus mihi ſum videre verè priſcam Regulam & veterem Zelum ac pietatem, ſicut ſine dubio ſub ipſa fuit initia, quando fuerunt inſtituta, & ſicut in veteribus libris deſcriptum invenitur.* Huic patris ſui teſtimonio Sereniſſimus Princeps Elector Maximilianus merito majorem fidem habet, quàm Confeſſario ſuo Adamo Conzen: quem velut falſum & fraudulentum teſtem, ſicque in ipſo mendacio ac furto, vel potiùs alieni honoris peculatu deprehenſum & autocatacriton, ſuaque ipſius confeſſione convictum & jugulatum ſi procul in malam crucem faceſſere jubeat, nihil vir-

tute ac prudentiâ ſuâ alienum faceret.

XII. Etſi S. Gregorius Magnus judicat Monialium Virginum nocturnas ac diurnas Dei laudes, orationes & corporis ſui vexationes tanti apud Deum eſſe ponderis, ut Rempub. ſalvam præſtare & interitum ab ea prohibere poſſint, ſicut illis ſolis acceptum refert, quod Hæretici Langobardi Romam obſidione cinctam capere non potuerint, quemadmodum in Annalibus memorat Baronius: hoc tamen tempore vix ullus Monialium uſus eſt, ac propterea Monaſteria earum ad Ieſuitas transferri æquũ eſt. Quod enim Moniales habent, idem non minùs habent Ieſuitæ, ut nimirum ſint Virgines, quamvis ſetoſæ, hiſpidæ, penitæ, & *pulchrè penſilibus peculiatæ*: cumque ſint Maſculini generis Virgines, haud dubiè illis fœminini generis anteponi merentur. Quod verò Moniales non habent, id habent Ieſuitæ, facultatem ſcilicet per Verbi & Sacramentorum miniſterium Chriſto filios gignendi: tum etiam facultatem magnis quibuſdam Diis ſacrificandi & litandi, qui ſunt *Dea Prema, Deus Subigus & Dea Pertunda* (quorum Deorum S. Auguſtinus meminit) hoc eſt, facultatem habent Virgines comprimendi, ſubigendi & pertundendi, & Iohannis Baptiſtæ, ut iterum in orbem mittatur, ex virgine cõpreſſa

ſuſci-

ſuſcipiendi: quam facultatem eos habere Gravina pag.108. & 253. probat exemplo *Ieſuitarum Nicolai Zantium* P. Chriſtiani Franken, P.Iacobi Reching, & P.Azevedi, præcipuè verò Patris Menę, qui cũ obſequioris ſexus Iohannem, ex Virgine preſſa, ſubacta & pertuſa ſuſceptum, à Quæſitoribus Hęreticę pravitatis ad rogum expoſceretur, Ieſuitę mortem ejus mentiti in templo ſuô ſimulacrum ejus funerali officio proſecuti ſunt, ipſum verò ad majorem Dei gloriam procul amandarunt, qui & vaſis ſalvis evaſiſſe, & aſylum ubi inveniſſe fertur.

Cuniculoſa terra Celſiberia,
Tibi hac fuiſſe & eſſe cognitiſſima
Ait Gravina, nec negat Sodalitas,
Aut ſi neget, mentibitur ſolemnia.

FRVCTVS PARADOXORVM IESUITICORUM.

I.

NOnnulli Principes, quorũ alioqui ſumma eſt pietas; maximumque fidęi Catholicę ſtudium; fide iſtis Paradoxis habitâ omnes Religioſos Ordines prę una Societate Ieſu contemnunt, planeque ſupervacuos, ad Hęreticorũ certè reductionem inutiles

eſſe credunt, quoniam neſciunt, varias Hæreſes, præcipuè Arianam, per Ordinis Benedictini Monachos Deo juvante non multo tempore fuiſſe interemtas, & totum Septentrionem hujus Ordinis operâ ad Chriſti fidem fuiſſe converſum (quod ipſe Adamus Conzen Politic. lib. 6. cap. 46. numero 4. confitetur.) cùm tamen ne unum quidem oppidulum Ieſuitæ poſſint oſtendere ſuâ operâ ſine Principum edictis ac minis ex Hęreſi ad fidem Catholicam reductum, quippe qui libris editis apertè ferant, omnes labores ſuos ad Hęreticorum converſionem nullum momentũ facere, niſi eos Principum arma terreant & intrare compellant, ut locus fiat verbo illi Gallico, *Væ victis*. In Iuſtæ quidem defenſionis libro pag. 129. Monachos irrident, quòd ſperent ſe Apoſtolorum & veterum Monachorum imitatione in tentanda errantium reductione operę pretium facturos: *Quod de Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus Monachis refert, ipſos ſolo verbo & prædicatione nulla vi adhibita multitudinem populorum Chriſto adduxiſſe, id fatentur & ſequuntur Doctores Catholici* (Ieſuitæ) *quod attinet ad Infidelium, ſeu qui baptizati non ſunt, converſionem: ſed alia ratio eſt de Hæreticis. Hi mandatis ac minis, etiam pœnis reduci debent. Hic optimus eſt Hæreticos ad fidem Catholicam convertendi modus.*

Alij

II.

Alij Principes, qui Ieſuitis utuntur Confeſſariis, eiſque credunt, magnas opes cauſam eſſe corruptæ Monaſticę diſciplinę, religioni non habent Monaſteria vexare, ſpoliare, exactionibus gravare, & ab illis decimas exigere ad belli impenſas: ex quo fit, ut etiam ſub illis Principibus, qui Zelantiſſimi Catholici perhibentur; haud multo penſior & optabilior Monachorum ſit conditio, quàm ſub Principibus Proteſtantium ab Eccleſię Romanę communione alienis.

III.

Monaſteria ſine ulla religione aut ſcrupulo petuntur & accipiuntur in Commendam, in ſubſidium Epiſcoporum rei ſuę malè gerentium ſeu prodigorum, in compenſationes ſumtuum bello factorum, in ſtipendia militum, in ſcholas & domos Ludimagiſtrorum.

IV.

Plurimorum animi vel in vitiis & peccatis confirmantur, vel certè à perfectioris vitę ſtudio deterrentur, quoniam Ieſuitis credunt, Monachos, perfectionis profeſſores, iam nequiter improbeque vivere: jure etiã metuunt, ne Ordines Monaſtici ſic à Ieſuitis accuſati & infamati mox Monaſteria omnia amittant, & Monachi inde eje-

cti mendicare neceſſe habeant.

V.

Regna ac provinciæ defraudantur beneficio illo, quod vel ab unius hominis perfecti Deoque grati ſanctitate ſibi polliceri poterant, ut nimirum populi *ſtent perfecti & pleni in omni voluntate Dei* (quod Epaphras aſſiduis precibus populo Coloſſenſi & Laodicienſi impetrare laborabat teſte Paulo Coloſ. 4.) aut certè ut Deus etſi grauiſſimis populi ſceleribus offenſus, meritis tamen ac precibus ſancti hominis retentus & impeditus, populum punire non poſſit, ſed ei parcere cogatur, ut Ezech. 22. Iſai. 64. verſ. 7. Ierem. 5. v. 1. & exemplo Loth Geneſ. 19. v. 21. & 22. & Moyſis Exod. 32. Numer. 14. docemur.

VI.

Nonnulli Principes dum Ieſuitas ſanctitate ac perfectione omnibus aliis Religioſis tanto intervallo antecedere perſuaſum habent, uſquè eò ſe in ſervitutem illis addicunt, ut ipſius quoque Pontificis in eos imperium minuere ac circumſcribere religioni non habeant, eorúmque adverſus Apoſtolica mandata contumaciam alant ac foveant. Ejus rei exemplum videre licuit in Pragenſi Academia, quam Cæſaris favore freti Ieſuitæ invito & reclamante non tan-

tùm

tùm Cardinali ab Harrach, Pragenſi Archiepiſcopo & Academiæ illius Cancellario, ſed etiam Senatu Cardinalium propagandæ fidei curam gerente, atque ipſo demum Pontifice, per ſeptennium circiter ſuę ditioni ſubjectam habuêrunt, Archiepiſcopi & Cardinalis juriſdictionem uſurpantes, & Bullam Cœnæ Domini quæ anathematis fulmen omnibus ſimilia tentantibus intentat, ſtrenuè contemnentes. Exemplum quoque in Hiſpanica Regia apparet, ubi Ieſuitæ, *confidentes in homine & ponentes carnem brachium ſuum* (Ierem. 17.) Patrem Iohannem Baptiſtam Pozam, illum D. Thomæ contemtorem profeſſumque doctrinæ ejus hoſtem; à Pontifice & Cardinalibus Cenſoriæ notionis fulmine ambuſtum, propterque libros ejus quà editos, quà manu ſcriptos triſti edicto iterum notatos non mediocri infamiâ aſperſum, & Hæreſis atque Impietatis ex eo non immeritò ſuſpectum (ex qua vulgo jam fertur, *Il pazzo Padre Pozza puzza*) non modò tolerant, ſed etiam ad declarandum Pōtificiæ Cenſuræ contemtum, honore, laude ac gloriâ mactant, & ad ſupremam Academiæ Cathedram ſacrarumque literarum explanandi provinciam extollunt, omneſque Hiſpaniæ Magnates domusque Regiæ familiares ad Acroâſes ac lectiones ejus invitant,

ut ſuas ſcilicet ſententias, quarum cauſâ Romani eum Cenſores notarunt, non minùs voce, quàm ſcriptis, audientium animis imprimat: quod quidẽ nihil eſt aliud, quàm *præter altare Domini ſacrilegum altare conſtruere*, & auctoritatem ſedis Apoſtolicæ vilem Hiſpanis facere, ut periculum non leve Hiſpaniȩ portendatur, ne mox glorioſa illa CATHOLICI appellatio coloniam mutet, ſecumque ſimul ejus imperij fortunam aliò transferat: quod tamen malum multorum Sanctorum Hiſpanorum precibus ac meritis à patria depelli poſſe non immeritò ſperatur.

VII.

Deus tot bonorum ſibi & Sanctis ſuis conſecratorum profanationibus & ſacrilegiis, Ieſuitarum ſuaſu commiſſis, graviſſimè offenſus, *virgam furoris ſui*, Aquilonares Reges ac populos, in Germaniam immiſit, nec ante cædere & flagellare eam deſinet, quàm illa *ad percutientem ſe redierit*, Deoque per culpæ confeſſionem & per ſatisfactionem, ſive ipſo facto, ſive voto ſaltem concepto præſtitam, reconciliata fuerit. Qua de re quo minùs cuiquam dubium eſſe poſſit, Ezechiæ Regis Iuda & Caroli Craſſi Imperatoris exemplum afferri haud ab re fuerit, quoniam *ſapientia ſcit præterita, & de futuris æſtimat*, Sap. 8.

Sap.8. *Nam quæ futura ſunt, jam fuerunt, & Deus inſtaurat, quod abiit*, Eccleſ.3.

EZECHIAS REX.

DE hoc legimus, virum fuiſſe pietate nemini priorum Regum, nec eorum, qui ætatem ejus exceperunt, ſecundum, ita ut ſine vanitate coram Deo gloriari potuerit. *Memento Domine quomodo ambulaverim coram te in veritate & in corde perfecto; & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim*, Iſai.38. Hujus deliciæ erant quotidie in templo Pſalmodiæ & Orationi vacare, velut ipſe inibi fert apertè: *Pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ, in domo Domini.* Hic non ipſe modò de ſuo munificus & largus fuit in alendis *Sacerdotum ac Levitarum turmis*, *ut Deo miniſtrarent & confiterentur* hymnoſque *canerent in atriis domus Dei*, Sed *populo* quoque *præcepit, ut daret eiſdem partes ut poſſent vacare legi Domini*, 2.Paral.31. Atque hanc ejus pietatem & in ſacrorum miniſtros munificentiam ita Deus gratam acceptamque habuit, ut non modò ejus cauſâ de hoſtili Aſſyriorum exercitu 185. millia unâ nocte neci daret, ſed etiã ſolem ad relegendum decem horarum ſpatium maximo divinæ omnipotentiæ ſpeci-

mine & portento reduceret. Ex tam proſpero autem & ſecundo rerum curſu,tamque illuſtribus divinæ erga ſe gratiæ ac benevolentiæ documentis nonnihil ei vanitatis ac ſuperbiæ acceſſit, eumque Adulatorum, præcipueque *Sacerdotum in mercede docentium, & Prophetarum in pecunia divinantium* (Mich.3.ubi de Ezechia agi,Ierem.26.docemur) quod eſt avarorum Prædicatorum & Confeſſariorum inſidiis opportunũ fecit, ut eis crederet, ſe jam omni ex parte Sanctum eſſe & Impeccabilem, nec aut Deo quicquid ipſe egiſſet diſplicere poſſe, aut ſeſe reprehendi à quoquam oportere. Ita factum eſt, ut munere ſuo ſomniculoſiùs fungeretur, & tempus cognoſcendis ſubjectorum cauſis & poſtulatis, jurique velociter reddendo debitum partim hymnodiæ in templo vacans otioſæ contereret,partim ad obeunda ſive voluptaria, ſive minoris neceſſitatis negotia conferret, quippe qui curæ haberet *theſauros plurimos ſibi congregare argenti & auri & lapidis pretioſi, aromatum & Armorum univerſi generis, & vaſorum magni pretij: apothecas quoque frumenti, vini & olei, & præſepia omnium jumentorum caulaſque pecorum:* (2.Paral. 32.) de quibus quidem theſauris ſuis quantoperè ſibi placeret ipſe, *in legatione Principum Babyloniæ* manifeſtè patuit, *in qua dereli-*

quit

quit eum Deus ut tentaretur & nota fierent omnia, quæ erant in corde ejus, id eſt, ut omnibus appareret, *exaltatum fuiſſe cor ejus*, ſive animos ei ex pietate & proſperitate ſuâ, & ex gratia Dei maximo portento declarata acceſſiſſe. Hanc porrò Principes & Aulæ ejus Proceres occaſionem ceperunt *ædificandi Sion in ſanguinibus, & Ieruſalem in iniquitate* (Mich. 3. ubi publicus regni ſtatus deſcribitur.) *Panis* nempe *egentium eſt vita pauperum, quem qui defraudat, homo ſanguinis eſt*, ſive homicida, Eccleſ. 34. Iniquitas verò maxima eſt *Avaritia*, & *Idolorum ſervitus*, Epheſ. 5. quod *Nihil ſit iniquius, quàm amare pecuniam*. Eccleſ. 10. Itaque Pſal. 9. ubi legitur, *Iniquus benedicitur*, in Hebræo eſt, *Avarus benedicitur*. Cùm ergo Ezechias boni publici cauſâ Aquæductum & Piſcinam inſtituiſſet, arcemque Sion & civitatem Ieruſalem aliasque urbes multo opere muniendas ſuſcepiſſet: Principes ejus ac Proceres, ipſo interim alias res agente & partim rei divinæ vacante, partim familiaribus curis & fribuſculis otium oblectante, populum eâ occaſione deglubere, jura omnia vænalia habere, omne denique *judicium abominari, & omnia recta pervertere* cœperunt, cùm tamen nihilo eâ cauſâ minus optimos ſe Deique cultores perhiberi poſtularent, prophetis ſeu Confeſſariis pacem eis prædi-

cantibus, & veniam Dei atque abſolutionem à peccatis impertientibus, ut viciſſim ſuffragatione eorum in domos illas immitterentur, unde Mulieres Pſaltrias, diverſis familiis diſtinctas, priùs ejecerant, quarum opus erat lętis & ſecundis populi rebus Pęanas hymnos & laudes Deo decantare, ſimiliterque in triſtibus & adverſis leſſum facere & lugubres modos næniaſque lamentabiles integrare, & utriuſque generis carmina filias ſuas docere, quemadmodum diſcimus ex Zach.4. Ierem.9. Amos 5. & 2.Paral.35. verſ.25. Quam cantatricibus fœminis, Monialium noſtrarum haud abſimilibus, factam injuriam ſic Deus expoſtulat, & adverſus prophetarum familiam, alienarum domuum infeſtricem, ita vindicaturum comminatur Mich.2. *Væ qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus* (ſeu Collegiis) *veſtris: concupiviſtis domos, & violenter tuliſtis: deſuper tunicam pallium ſuſtuliſtis* (vos nempe *Prophetæ, qui ſeducitis populum meum, qui mordetis dentibus veſtris*, & prædam devorare geſtitis, *& prædicatis pacem: & ſi quis non dederit in ore veſtro quippiam, ſanctificatis ſuper eum prælium*, ita ut nulla religione aut ſcrupulo hoſtiliter oppugnari inque capitis diſcrimen vocari poſſit, Mich.3.) *Mulieres populi mei ejeciſtis de domo deliciarum ſuarum: à parvulis earum tuli-*
ſtis

ſtis laudem meam in perpetuum , ita ut jam in domibus earum nocturna ac diurna Pſalmodia conticeſcat,ejuſque locò puerorum ejulatus ſub plagoſis virgatoribus ac naticidis vapulantium audiantur. *Ecce ego cogito ſuper familiam iſtam malum , unde non auferetis colla veſtra , & non ambulabitis ſuperbi* & favore Principum feroces. *Surgite,& ite* (domoſque ſacrilegè occupatas relinquite) *quia non habetis hîc requiem. Propter immunditiam veſtram corrumpemini putredine peſſima*,id eſt,ut Zach. 13. declaratur: *Pſeudoprophetas & ſpiritum immundum auferam de terra*, nempe ſpiritum adulationis, qui eſt in eorum ore, qui utilia peccatoribus ſubtrahunt, nec liberè peccata eorum caſtigant. nam qui mundi eſſe volunt, faciunt quod de ſe Paulus apud Eccleſiæ principes prædicat Act.20. *Conteſtor vos, quod mundus ſum à ſanguine omnium. non enim ſubterfugi, quominùs annunciarem vobis omne Dei conſilium,& nihil ſubtraxi utilium: quoniam per triennium nocte & die non ceſſaui cum lacrymis monens unumquemque veſtrûm.* Hoc nimirum eſt mundum prophetam boneque fidei Confeſſarium agere, qui verò Confeſſarij nõ ſic mundi ſunt, ſed ſuæ utilitatis cauſâ muſſitant, ac peccatores cum lacrymis monere ceſſant,utiliaque eis ſubtrahunt, horum immunditia putredine peſſima corrumpitur.

Nec tamen ipſos Deus ſolos propter immũditiam ſuam plectere ſatis habet, ſed etiam Principes ác populos, eorum ſilentio & pacis prædicatione inquinatos, nec à ſordibus ſuis mundatos malè tandem perdere ſolet, *Generationem* putà *quæ ſibi munda videtur*, *& tamen non eſt lota à ſordibus ſuis*, Proverb. 30. Hac de re Malach. 2. Sic certi reddimur: *Contaminavit Iudas ſanctificationem Domini, quam dilexit, re habuit filiam Dei alieni.* (Hoc fecit populus, cùm domos mulierum Dei nomen hymnodiâ ſuâ ſanctificantium ad familiam Prophetarum tranſtulit, quæ erat Dei alieni ac ſpiritus immundi filia.) *Diſperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magiſtrum & diſcipulum de tabernaculis Iacob, & offerentem munus Domino exercituum*, quia *Immolantis ex iniquo oblatio eſt maculata, & dona iniquorum nõ probat Altiſſimus, nec in multitudine ſacrificiorum eorum propitiabitur peccatis*, Eccle. 34. Nec aliter Ezechiæ & Principibus ac populo ejus Iſai. 9. Deus interminatur. *Populus non eſt reverſus ad percutientem ſe, & Dominum exercituum non inquiſierunt* (ut ei per pœnitentiam & confeſſionem ſatisfacerent.) *Et diſperdet Dominus ab Iſraël Caput & Caudam die una lõgævus & honorabilis*, (Rex cum Procerum ſenatu) *ipſe eſt Caput*, *& Propheta docens mendacium, ipſe eſt Cauda*, (quoniam blanditur &

pec-

peccata velut obſcœna contegit.) *Et erunt qui beatificant populum iſtum ſeducentes, & qui beatificantur, præcipitati. Propter hoc ſuper adoleſcentulis ejus non lætabitur Dominus, & pupillorum ejus & viduarum non miſerebitur,* (ſed calamitatibus publicis omnes pariter nullo ætatis, ſexus aut conditionis diſcrimine involvet) *quia omnis Hypocrita eſt & nequam, & univerſum os locutum eſt mendacium.* Cùm enim ipſi viæ duces ac magiſtri Hypocritæ ſint *ut ore ſuo appropinquent ac labiis ſuis glorificent Deum, cor autem eorum longè ſit ab eo* (Iſai. 29.) qui eos Duces ſequuntur, nec *ab eorum fermento attendunt, qui dicunt & non faciunt,* nullo genere illis meliores eſſe poſſunt, ſed ſiunt exemplo eorum *filij gehennæ duplo quàm illi,* ac velut *cæci cum cæco ducatum præbente cadunt in foveam,* Matth.15. & 23. Quam morum corruptelam Ezechiæ & regiæ ejus familiaribus ac Magnatibus Michæas cap.7. ſic exprobrat: *Periit ſanctus de terra* (quamvis Ezechiam Prophetæ ſui ſanctificent, eumque ſummâ vi in Canone & albo Sanctorum conſcriptum velint) *& rectus in hominibus non eſt,* (nec rectâ virtutis viâ incedit, ſed omnes *in* hypocritis *obliquationes declinant* ac velut *filij alieni mētiuntur claudicantque à ſemitis ſuis,* Pſal.17. & 124.) *omnes in ſanguine inſidiantur: vir fratrem ſuum ad mortem venatur* (&

mutua inter Principes & Prophetas captatio eſt, alteriq; alter depravationis & exitij cauſam præbent.) *Malum manuum ſuarum dicunt bonum: Princeps poſtulat, & Iudex* totus *eſt in reddendo* (quaſi dicat, Conſcientiæ arbiter in tribunali ſedens Deique judicium exercens Principi abſolutionem poſtulanti obſequitur, ut aliquam ei pro multis emolumentis reddat gratiam) *& Magnus locutus eſt deſiderium animæ ſuæ, & conturbaverunt eam. Qui optimus in eis eſt, eſt quaſi paliurus* (quem ſi tangas, te ipſum ſpinis ejus compungere neceſſe habeas) *& qui rectus eſt, quaſi Spina de ſæpe. Nolite credere amico, & nolite confidere in Duce*, quia in Aula regis, uti prophetæ in pecunia divinant, nuſquam eſt tuta fides. Idem Michæas cap. 6. *adverſus Montes & fortia fundamenta terræ*, id eſt, adverſus ipſum regem & principes ejus, *judicio contendens*, eorum Hypocriſin & muneris ſui neglectum hujuſmodi Dialogiſmo confutat.

Ezechias & Principes ad Michæam.

Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu Deo excelſo? Numquid offeram ei holocautomata & vitulos anniculos? Numquid placari poteſt Deus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium?

guium? Numquid dabo primogenitum meũ pro ſcelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? *Perinde ac ſi quis hodie dicat: Num filium aut fratrem meum Eccleſiaſtico vitæ generi addicam, ut complurium Epiſcopatuum ac Monaſteriorum fructus, quæ pauperum ſunt patrimonia, ad luxum & ſplendorem Principe ſæculari dignum convertat, etſi Sacerdos neque eſt, neque fieri umquam cogitat, & ſine perſpicuo Sacrilegio opes Deo & Sanctis ejus ſacras, pauperumque alimoniæ debitas, contingere non poteſt?*

Michæas ad Ezechiam & Principes.

Indicabo tibi, ô Homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: Vtique facere judicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum Domino Deo tuo, *nec in examinandis Conſiliariorum, præcipuè autem Confeſſarij tui cupiditatibus oſcitanter verſari. Aures enim Principum illo Dei monito aſſiduè perſonare oportet.* A Conſiliario ſerva animam tuam. Priùs ſcito quæ ſit illius neceſſitas, (*id eſt, priuſquam ejus conſilio utaris, etiam atque etiam conſidera, quid ei ſit neceſſarium, ſive quid habere debeat aut cupiat: adſit ne illi intelligentia & fides, & ullam ne in partem illius interſit, te hoc aut aliud conſilium capere.*) Cum viro irreligioſo tractans de Sanctitate, cum impio de pie-

tate, cum inhoneſto de honeſtate, cum injuſto de juſtitia, cum timido de bello, cum emtore de venditione, cum ſervo pigro de multa operatione, non attendas his in omni conſilio, *Eccl.*37.

Hinc porrò dubium non relinquitur, quin non minùs Ezechiæ ei Optimatibus ejus cãtari potuerit, quod eorum majores priùs audierant Amos 5. & 6. *Væ qui opulenti eſtis in Sion, Optimates capita populorum; ingredientes pompaticè domum Iſraël* (cum magna frequentis officij, ſive anteambulonum & pediſequorum Caterva) *Hoſtes iuſti, accipientes munera, & pauperem deprimentes in porta* (ſeu tribunali) *qui convertitis in amaritudinem judicium, & fructum juſtitiæ in abſinthium,* (ut etiam cùm juſtè judicatis, tamen propter longum litis ſufflamen & moram, quâ utimini, vincat quis, an cauſâ cadat, minimè multùm referat, ſitque etiam victoria multo felle & abſinthio diluta.) *Qui canitis ad vocem Pſalterij: ſicut David putatis vos habere vaſa cantici,* ſive Symphoniacorum gregem. *Odi & projeci feſtivitates veſtras, & non capiam odorem cœtuũ veſtrorum. Quòd ſi obtuleritis mihi holocautomata, & munera veſtra, non ſuſcipiam, & vota pinguium veſtrorum non reſpiciam. Aufer à me,* ô Rex, *tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam. Odite malum, & diligite bonum, &* *conſili-*

conſtituite in porta judicium, (ſtipendia Miniſtris ad diem repræſentando,ut ne nundinari & pro muneribus impium juſtificare neceſſe habeant.) *Reveletur quaſi aqua judicium, & Iuſtitia quaſi torrens fortis*, id eſt, efficite ut Iuſtitia ſuum cuique reddens inoffenſo pede decurrat. Horum ſimilia Principes audierant, Iſai. 1. *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam: vinum tuum mixtum eſt aquâ, Principes tui infideles, ſocij furum* (quoniam Conſiliariorum ſuorum furta ac rapinas diſſimulant & impunitate fovent, tum iis utuntur Confeſſariis, *qui furantur verba mea à proximis ſuis*, & utilia ſubtrahunt hominibus. Ierem. 23.) *omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Pupillo non judicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos*, (ſed inter furaciſſimas inexaturabilium Miniſtrorum manus ſtrangulatur.) *Propter hoc ait Dominus, Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis*, id eſt, de Principibus, qui me ludibrio habent, ſuique muneris negligentes alieno fungi officio, mihique fictæ pietatis ſpecie fucum facere ac Sanctos ſe probare poſtulant. *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum? Holocauſta arietum & ſanguinem vitulorum nolui. Cùm veniretis ante conſpectũ meum, quis hæc* (quæ Sacerdotúm ſunt) *quæſivit de manibus veſtris, ut ambularetis in atriis meis*, &

tempus publicis privatiſque ſubjectorum negotiis debitum multas oratiuncularum centurias deblaterando inutiliter in templo contereretis? *Ne offeratis ultra* (laudis) *ſacrificium fruſtrà*, (cùm haud deſint Clerici ad id vocati) *Incenſum* (orationum veſtrarum) *abominatio eſt mihi. Iniqui ſunt cœtus veſtri* (& in Eccleſia conventus) *Calendas, & feſtivitates & ſolemnitates veſtras odivit anima mea. Facta ſunt mihi moleſta. Cùm extenderitis manus veſtras* (tam ad dandas eleemoſynas, quàm ad orandum) *avertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam. Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Lavamini ergo* (per pœnitentiæ lacrymas) *mundi eſtote: quieſcite agere perversè: diſcite bene facere* (officium veſtrum, pro certo habentes, quod *qui conſervat legem, multiplicat orationem*, id eſt, ſatis multùm oravit Princeps, cùm facit quod lex Dei ab eo requirit, ut faciat judicium & miſericordiam, *& qui facit miſericordiam, offert ſacrificium*, Eccleſ.35. Sicut viciſſim *Pro eo quod oblitus eſt facere miſericordiam, oratio ejus fiet in peccatum, fientque dies ejus pauci, & Epiſcopatum* ſeu Principatum *ejus accipiet alter*, Pſal.108.) *Quærite ergo judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam*, (id eſt, miſſas facite Clerici partes, quodque Regis aut Principis munus eſt implete) *& veni-*

venite, & arguite me, niſi proſperè omnia & ex voto proceſſerint. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.* Quod ipſum Michæas, Ezechiæ & Principibus omnique populo ejus hoc modò vaticinatus fuerat: *Propter hoc cauſâ veſtri Sion quaſi ager arabitur, & Ieruſalem quaſi acervus lapidum erit.* Iſta verò Michææ comminatio ſic Ezechiam & Principes perterruit, ut humilitarentur perque pœnitentiam & morũ emẽdationem Deo ſatisfacerent, *& pœnituit Dominum mali, quod locutus fuerat adverſus eos, & idcirco non venit ſuper eos ira Domini in diebus Ezechiæ*, ut Ierem. 26. & 2. Paral. 32. legimus. *Hæc* porrò *contigerunt illis in figura noſtri, ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum devenerunt*, ut Paulus monet 1. Corinth. 10.

CAROLVS CRASSVS IMP.

HIc Imperator Ludovici Germaniæ Regis filius, Ludovici Pij Imp. nepos, Caroli Magni pronepos, mirâ felicitate totius Germaniæ, Galliæ & Italiæ, non minimæ etiam Hiſpaniarum partis imperio potitus, nec hoſtes ſuos, eâ quâ oportuit, ſeveritate

ultus fuit, nec victoriâ uti ſcivit. Vnde poſt modũ Principes Imperij ac Regni dignitatem, hæreditario jure partam, ſuis ei ſuffragiis abrogarunt, ſubrogato ei Arnolfo notho fratris filio. Quo facto ſic ſtatim omnes fortunatiſſimum Imperatorem deſtituerũt, ut poſt triduum vix adeſſet, qui lectum ei ſterneret aut aquam de puteo peteret. quo etiam tempore Moguntinus Præſul miſericordia motus victum ei præbuit. Tandem cum Arnolfi dono Fiſcos ſeu reditus nonnullos de Imperiali patrimonio in Sueuia accepiſſet, in Augiæ divitis Monaſterium conceſſit, ibique poſt ſex hebdomadas fato functus eſt. Quod ſi quis jam ſcire aveat, quæ tam gravis eſſe cauſa potuerit, cur non ipſe modo ex ſummo proſperitatis humanæ faſtigio in tam ſingularis exempli miſeriam repentè dejiceretur, ſed univerſa etiam Germania & Gallia ingentes à Borealibus barbaris clades acciperent, miſerrimasque oppidorum ſtrages, civitatum excidia & Epiſcoporum ac plebium internecionem perpeterentur: ex ipſo Arnolfo cognoſcere poteſt, primam Caroſo mali labem fuiſſe, quod Embriconi Ratiſponenſi Epiſcopo improbiùs à ſe contendenti propter dyſopiam ſeu frontis infirmitatem præcidere ac negare non potuit, eique Monaſterium S. Emmerami præ

mi præſtitit ſeu commendavit , vel potiùs in prædam & abliguriendum dedit. *Ex illo fluere, ac retrò ſublapſa referri* omnis cùm ipſius,tum reipub.proſperitas,& ſecundus rerum curſus adverſis mutari. Arnolfi verba ſunt in Diplomate , quod Ratiſponæ adhuc exſtat.

> *Omnium ſucceſſorum noſtrorum magnitudo cognoſcat , poſtquam patruus meus Carolus Imperat. pro petitione Embriconis S.Emmerami Eccleſiam præſtavit*, NUNQUAM *poſtea habuit victoriam,neque corporis & animæ ſanitatem uſque ad finem vitæ ſuæ. Itaque ſi quis Imperator aut Rex eandem Eccleſiam alicui præſtet; in maledictione S.Mariæ,S.Petri ſucceſſorumque ejus & omnium Sanctorum perſiſtat.*

Et tamen talis ac tantus Imperator propter innocentiæ opinionem videbatur propemodum vivus Sanctorum ordinibus adſcribi ſeu Canonizari poſſe, ut qui cum Auguſta conjuge decem ipſos annos caſtè exegiſſet & intactam reliquiſſet, cui etiam Reginæ ęqualis illorum temporum ſcriptor hujuſmodi elogium impertitur: *Fuit hic Chriſtianiſſimus Princeps, Deum timens, & mandata ejus ex toto corde cuſtodiens, Eccleſiaſticis ſanctionibus devotiſſimè parens, in eleemoſynis largus, orationi & Pſalmorum melodiis* INDESINEN-

TER *deditus, laudibus Dei infatigabiliter intentus, omnem ſpem & conſilium ſuum divinæ diſpenſationi committens.* Qui tamen rem magis ex ſententia videtur geſturus fuiſſe, ſi plus obeundis regni negotiis in Curia, quàm Pſalmodiæ & Orationi in Eccleſia intentus fuiſſet, & Regis implere partes, quàm Monachorum in concentu ſocium ac participem agere maluiſſet. Intelligite ô Reges, & erudimini qui judicatis terram.

FINIS.

IV.

BERNARDINI GIRALDI PATAVINI

PRO SENATU VENETO APOLOGIA

ſive

De Iuſtitia decreti, quo Senatus Venetus adoleſcentes ditioni ſuæ ſubditos ad Ieſuitarum ſcholas accedere interdixit.

Deque conditionibus, quibus Ieſuitæ reditum ad Venetos videntur impetrare poſſe.

OMNES Reſpublicas civium erga leges obedientiâ ſalvas præſtari certum eſt, neque etiam cuiquam dubium eſſe poteſt, quin cives legibus minimè libenter obediant, ſi eas imprudenter nul-

lâque ratione latas exiſtiment. Ad ſalutem proinde reipub. pertinet, ut perſuaſum habeant, qui ſubjecti ſunt imperio, leges & ſcita Magiſtratuum ratione & prudentiâ minimè deſtitui. Cùm ergo Senatus Venetus edicto ſanxerit, ne juventus imperij ſui ad Ieſuitarum ſcholas accedat: ipſi verò Ieſuitæ omni vi hoc agant, ut hoc Senatus conſultum non modò pernicioſum, ſed etiam turpe prorſuſque impium eſſe omnibus perſuadeant, non pauci denique Venetæ reip. ſubditi filios & neceſſarios ſuos Mantuam, Mediolanum, Parmam, Bononiam, aliaſque Vrbes mittant Ieſuitarũ diſciplinâ imbuendos, quod fide ſcilicet Ieſuitis habitâ credant, Senatum imprudenter ſtatuiſſe, nec extra Ieſuitarum ſcholas in bonarum literarum, & virtutum, præcipueque pietatis ſtudio, ullum operæ pretium fieri poſſe: propterea boni civis officio functurus mihi videor, ſi orbi univerſo cauſam Senatus probem, cùmque decreto illo ſubjectorum utilitatibus prudentiſſimè conſuluiſſe tam planum faciam, ut nullus Ieſuita, niſi palam effrons nulliuſque pudoris, contra vel hiſcere animum inducat.

Omnium ergo primum operæ pretium fuerit conſiderari, quantum emolumenti Ieſuitis ipſis diſciplina ſua afferat, cùm ut ratio

dictat, & Apoſtolus monet, *Laborantem agricolam oporteat primum de fructibus percipere. Qui enim ſibi nequam eſt, cui alij bonus erit?* Hac porrò de re cui potius credatur, quàm ei, qui rem omnium optimè ſcire potuit, nec de Societate ſua mentiri quicquam voluit? Is porrò eſt *Pater Iohannes Mariana Toletanus*, Ieſuitarum, quos ætas noſtra vidit, annoſiſſimus, qui abhinc biennium piè obiit diem ſuum nonaginta ſex annos natus, cùm ante annos circiter quinquaginta Theologiam in Italia, Sicilia, Galliáque docuiſſet, vir Hebraïcè, Chaldaïcè, Syriacè, Græcè, & Latinè doctiſſimus, quem perhonorificâ appellatione Baronius Cardinalis afficit, non immeritò: Nam & ſummam ejus rerum Hiſpanicarum Hiſtoria prudentiam declarat, nec ei quicquam veritate antiquius eſſe ſtatim Lectores ejus agnoſcunt. Baronij verba ſunt anno 688. *Veritatis amator & pietatis optimus cultor, qui erudito ſtylo poſtremam manum appoſuit rerum Hiſpanicarum hiſtoriæ, Hiſpanus & ipſe, ſed affectu priuato carens Iohannes Mariana, dignus profeſſor Societatis Ieſu.* Et anno 775, *Iohannes Mariana vir doctus, nobilis rerum Hiſpanarum hiſtoricus.* Hujus tam laudati viri diſputationes aliquot graviſſimæ vno volumine comprehenſæ Coloniæ Agrippinæ anno 1609. typis deſcriptæ exierunt, quarum una

fuit de *Monetæ mutatione* in Hiſpania , quâ quidem fraudes, & impoſturæ Miniſtrorum Regiorum Monetas publicas adulterantium detegebantur, oſcitantia, & dormitatio Philippi III. Regis Catholici perſtringebatur, ingentia denique damna in univerſam Hiſpaniam ex improbiſſimo Regiorum peculatu certo exoritura prænuntiabantur: quem librum qui legat , & hodiernum Hiſpaniæ ſtatum non ignoret , abeſſe haudquaquam poſſit , quin Marianam divinum hominem fuiſſe agnoſcat (qui ea, quæ hodie Hiſpania experitur mala, tanto antè ut vates cecinerit) vel certè prudentiam genus divinationis eſſe intelligat. Verùm vehementer ea res Lermæum Ducem , Regiæ Hiſpanicæ Seianum, pupugit: quippe qui fundi Hiſpanici calamitas eſſet , ſeque à Mariana deſignari ſatis intelligeret. Hominem ergo in vincula poſcit, in iiſque annum vertentem amplius continet. Inter eam moram ſcrinia ejus excutere juſſus eſt *Franciſcus Soſa*, ex Franciſcani Ordinis Miniſtro Generali Auximenſis Epiſcopus & Status Conſiliarius, ut ſi quid aliud inter ejus ſcripta inventum foret, quo vel Regis ſimplicitas, vel Lermæi aſtutia ſugillari poſſet, id ille penitus abolendum curaret. Is librum ſermone Hiſpanico ipſius Marianæ manu conſcriptum invenit.

Del

Del govierno dela Compañia de Ieſus, hoc eſt, *de regimine Societatis Ieſu*: in quo propoſitum ei fuerat Sodalitatis ſuæ homines exitij Societati imminentis, & ſimul modorum, quibus eam conſervari poſſe cenſeret, commonefacere, ut ipſi in Conventu aliquo vel congregatione ſive Generali, ſive Provinciali in medium conſulere, peſtemque matri communi ac perniciem prohibere vellent. Eum librum Soſa admirandæ hominis prudentiæ ſingularisque erga Societatem Ieſu amoris pro ejusque ſalute ſollicitudinis teſtem locupletiſſimum eſſe, & ad nominis Hiſpani ornamentum pertinere judicans, fecit non invitus, ut amicis ejus legendi deſcribendique copiam faceret: quo factum eſt, ut cùm alij, tum R.P. Nicolaus Ricardius Dominicanæ familiæ Theologus, *Monſtri* cognomẽto ob ingenij doctrinæque abundantiam inſignis, exemplar ejus nanciſcerentur, & in Galliam, Germaniam, & Italiam deportarent, quem etiam Galliæ Typographi proximo triennio non modò Hiſpanico ſermone, quo ab auctore ſcriptus fuerat, ſed etiam Latino, Gallico, & Hetruſco expreſſum publicarunt. Quem ut Romam allatum vidit ac legit. *P. Floravantius*, qui Vrbano Pontifici eſt à Sacris Confeſſionibus, exclamaſſe fertur: *Heu, heu, actum eſt de nobis Ieſuitis, quando*

nimis vera ſunt, quæ liber hic cantat. Maluiſſet ſcilicet priſcæ virtutis ac fidei vir, rectè monenti Marianæ potius obeditum, moreſque Societatis ex ſententia illius reformatos fuiſſe, quàm occulta ejus orbi univerſo noteſcere, & riſum iis, quibus Ieſuitæ quo jure, quâque injuriâ inviſi ſunt, movere. Itaque cùm primum Vrbanus in Apoſtolorũ principis ſede collocatus ei ad ſe accito ſignificavit, ſe illum Confeſſarium ſibi eſſe velle, ille poſtquam onus tantum diù multumque à ſe fruſtrà deprecatus eſt, hoc primum in maximi beneficij gratiæque loco ſibi tribui poſtulavit, *ut Sãctitas ſua Societatem Ieſu, quam commendatiſſimam habere, inſtituendâque ejus Reformatione, certiſſimum interitum ab ea amoliri vellet: nec enim verbis exprimi tantum poſſe, quantum in ea diſceſſum ſit à Religioſæ diſciplinæ obſervantia.* Cujus quidem rei eâdem ipſâ die Pontifex intimos familiarium participes faciendos duxit, ut illis ſcilicet probaret, judicium ſuum in eligendo ſummæ virtutis Confeſſario minimè aberraſſe. *At non audaci ceſſit fiducia Turno*, aut ſi mavis *non talia paſſus Vlyſſes, Oblitusve ſui eſt Ithacus diſcrimine tanto*, Generalis, inquam, Ieſuitarum, velut recoctus Romaniſcus, non propterea animum ſibi ac ſociis deſpondendum duxit, utque Marianæ liber edicto notaretur, ejuſque lectione

ctione omnibus interdiceretur, ſtrenuè al-
laboravit. Neque tamen non improbiſſi-
mum eâ in re laborem extulit. Diu enim id
à Papa petere vix auſus eſt, quod ejus animũ
nec in ſe, nec in Societatem ſuam ſatis pro-
pitium eſſe non uno jam argumento cogni-
tum habere videbatur. Altâ ſcilicet mente
repoſtum manebat, triſte illud edictum e-
jus, quo imagines omnes Ieſuitarum, quæ
Romæ in Eccleſia Ieſu omni ex parte parie-
tes ornabant, tolli juſſerat: in quo quidem
non tam ipſo facto, quàm cauſâ ejus turpem
Societati ſuę maculam imponi intelligebat.
Primarius enim quidam Baro Scotus, idem-
que ſpectatiſſimę in religione conſtantię
cùm Romam veniſſet, inque templo illo Ie-
ſuitarum inter alios ſodalitatis illius Marty-
res *Henrici Garnetti* effigiem vidiſſet, mirum
in modum iracundiâ exarſit, & Proh Dei,
inquit, hominumque fidem! usque adeò ne
projecta eſt hominum iſtorum impudentia,
ut proditorem iſtũ & parricidam notiſſimũ
in celeberrima Romanę Vrbis Eccleſia in-
ter Sanctos Dei Martyres religioſè colen-
dum proponere non dubitent? Et hoc videt
Papa, & tolerat? cùm tamen neſcire haud
poſſit, quod lippi & tonſores norunt, non
religionis Catholicæ causâ ad ſuſpendium
adactum fuiſſe Garnettum, neque quod pul-

verariȩ aduerſus regem conjurationis per Confeſſionis ſacramentum conſcius fuerit, ſed quod ipſe eam machinatus auctorem ſe ſuaſoremque conjuratis ad facinus audendum præbuerit. Multa hominum millia unum ex Ducibus conjuratorum, cùm jam in eo eſſet ut capite ſcelus expiaret, clarâ voce pronunciantem audiviſſe: Se non modò Britanniȩ, ſed ne orbis quidem terrarum imperium meriturum fuiſſe, ut tale facinus ſuſciperet, niſi Garnettum tantȩ auctoritatis hominem ejus ſuſcipiendi auctorem, & impulſorem habuiſſet? Quid igitur? an illi, qui mala faciunt, ut bona inde eveniant, *& ad majorem Dei gloriam* graviſſimorum ſcelerum non modò conſcientiam, ſed nec Societatem, atque adeò primas partes reformidant, continuò non dico excuſandi aut ſceleris abſolvendi, ſed laudandi, & cum Divis reponendi erunt? Hoc Pontifex & Cardinales vident, & ȩquis ſunt animis, nec intercedunt peſſimo *exemplo trahenti perniciem veniens in ævum?* quȩnam ſalus ſervare poterit rempublicam, ſi bono zelo & ad majorem ſcilicet Dei gloriam malefacientibus ȩternȩ beatitudinis præmia proponantur? quid de cȩteris Martyribus, & adſcriptitiis ſeu Canonizatis Divis exiſtimaturos putant non prorſus obeſȩ naris homines, cùm proditio-

ditionis convictos, & condemnatos Romæ publicè colendos proponi vident ? Talia Scotus ille maxima cum invidia paſſim jactabat. nec multo poſt edicto Pontifex omnes illos Ieſuiticos Divos tanquam ſubreptitios & vitio creatos loco movit & tenebris addixit, quod adeò graviter Ieſuitæ tulerunt, ut inter notæ interioris amicos minimè diuturnam ejus contumeliæ Societati factæ lætitiam Pontifici futuram minarentur: ſeſe enim ſuis eum precibus propediem fore confecturos. Ille autem offenſam eorum longè infra fiduciam poſuit, nec ea cauſa minus otioſè in utramvis aurem conquievit. Atque hæc prima Generali Ieſuitarum cauſa fuit, cur à Pontifice, ut Marianæ librũ legi vetaret, poſtulare cunctaretur. Acceſſit deinde purpuræ parum feliciter, quamvis non minimo cum artificio, ambitæ memoria. Cùm enim annis ſuperioribus Pontifex propediem in Sacrum Cardinalium Collegium complures cooptaturus ferretur, bini Ieſuitarum *Aſſiſtentes*, quos vocant, cum adiere, multiſque precibus, ne Societatem Ieſu Generali ſuo privaret, contenderunt: quod Pontificem animo agitare fama per Vrbem increbuiſſet: non ſe quidem dubitare, quin Pontificem eò impellat perſpecta jamq; omnibus cognita Generalis eruditio,

vis ingenij, prudentia, virtus vitæque innocentia & ſanctimonia, quibus quidem Sacri Collegij dignitatem mirificè illuſtrari amplificarique poſſe nemo non intelligat. Sed tamen æquum eſſe Sanctitatem ſuam Societati quoque Ieſu conſulere, nec Patrem multis nominibus cariſſimum hoc tempore tam neceſſarium ei auferre. Pontifex nec inurbanus, nec tám hebes, ut patricias iſtas artes non perciperet, exporrectâ fronte ac renidens bono eos animo eſſe iuſſit, voti quippe futuros compotes, ac ſimul omni eis aſſeveratione confirmatum eſſe voluit, nunquam ſibi ne per ſomnium quidem, ut tanto Societatem incommodo afficeret, in mentem veniſſe. Atque hic Mimus per Vrbem mox divulgatus riſum movit omnibus, atque infanti quoque Paſquini ſtatuę vocem elicuit. Generalis verò *demittere auriculas*, *ut iniquæ mentis aſellus*. De libro tamen Marianæ per Cardinales, præcipuéque Borgiam à tertio Societatis Generali B. Franciſco Borgia oriundum, ſatagere, omniaque experiri non deſtitit, ut lectio ejus pœnâ ſanciretur: etſi id ante exactum triennium, vix tandem extudit. Pontifex enim à Confeſſario ſuo doceri potuit, nihil eo in libro, quod vel fidéi Catholicæ, vel bonis moribus adverſetur, inveniri, atque adeò hoc unum ſpectare, ut

Ieſui-

Ieſuitæ mores profeſſione ſuâ indignos miſſos faciant, & mutatis illis, quæ Generalis Aquavivæ Tyrannis in Societatem perperam introduxerat, de fide Catholica meliùs mereri poſſint. Neque verò non penitus ἦθος & ingenium Ieſuitarum plerorumque perſpectum habebat, eosque *Aſpendios* eſſe & *intus canere*, & ad ſuam utilitatem, deſpoticumque & herile ſui Generalis imperium omnia conſilia, dicta factaque ſua, etiam quæ ex uſu publico faciunt, referre, ac neque Principibus, ubi Apoſtolicæ Sedi minus ſunt morigeri, blandiri & obſecundare dubitare, quodque Mariana fatetur, in tegendis & notitiæ hominum ſubducendis Societatis ſuæ malis ac vitiis unicè occupari noverat. Veriſimile quoque eſt nondum ei ex animo effluxiſſe, quod ſibi ipſe contigiſſe Virginius Cæſarinus, redivivus ille Picus Mirandulanus, Ducis Cæſarini filius, quo idem Pontifex cubiculi ſui præfecto utebatur, narrare ſæpius ſolebat, ut quibus Ieſuitæ artibus utatur ad præſtantiſſima quæque ingenia reipub. ſubducenda & in Societatem ſuam illicienda, exemplo ſuo planum faceret. Vivebat ille Parmæ adhuc adoleſcentulus, ſtudiorum & equeſtrium exercitationum cauſâ, omnesque in omni genere in admirationem ſui rapuerat. Hinc mota Ieſuitis fuit ſaliva,

ut ephebum genere annos circiter ſeptingentos illuſtri prognatum, corpore ſpecioſum, ingenij denique felicitate prodigioſum in naſſam ſuam pertraherent. Quod quidem eo minere negotio confecturos ſe confidebant, quoniam jam matri ejus, religioſiſſimæ matronæ, quam dicto ſuo audientem prorſuſque obnoxiam habebant, ut idem ipſum deſideraret, perſuaſerant. Cùm verò animus ejus ab iſto vitæ genere eſſet alieniſſimus, eoque aliam ex alia cauſam necteret, quo minus ejus ſuſcipiendi voto ſe obſtringeret, non deſierunt illi per illius Confeſſarium (quem dies noctesque lateri affixum habebat, ex eoque *Angelum cuſtodem* ſuum per jocum appellare conſueverat) quicquid ille difficultatis afferebat, verbis levare maximéque procliuè facere, futurum denique ut P. Generalis pro ampliſſima ejus rei poteſtate legibus illum ſolveret, cum eoque diſpenſaret, liberaliſſimè polliceri. Qua quidem in re adeò proceſſerunt, ut cùm ille propter nocturnos neſcio quos terrores ſolum negaret ſe dormire poſſe, ille idem cuſtos ejus ſe cum venia Generalis, etſi præter Societatis leges atque inſtituta, perpetuo illi contubernio junctum fore, atque etiam propter cubare velle oſtenderet, ne quis ſcilicet prædator corporis admitteretur in cubiculum,

prorſus

prorſus ut Eumolpum illum Petronij refer-re videretur, ejuſque propemodum verbis uti: *O felicem matrem tuam, quæ te talem peperit. Macte virtute eſto. Raram formæ mixturam facit cum Sapientia. Itaque ne te putes tot verba perdidiſſe, amatorem inveniſti. Ego laudes tuas carminibus implebo: ego pædagogus & cuſtos etiam quò non juſſeris, ſequar.* Hæc ut familiaribus Virginius enunciavit (quorum erat *Thomas Stilianus* notiſſimus poëta, qui adhuc ſupereſt) ſatis benigna illis materia riſus iſte fuit Eumolpides, cùm præſertim oculos ei ex aſſiduo formoſi corporis contuitu dolere ſuſpiria crebra imo latere petita neminem dubitare paterentur: neque tamen quicquam dictu fœdum ſuſpicari eis in mentem venit, quin eum Socratico pueri amore teneri, nec minùs intactum ab ejus lectulo Virginium, quàm à Socratis accubitu Alcibiadem ſurrecturum eſſe perſuaſum haberent. Verùm enim, cùm ne ſic quidem quicquam ſe proficere Ieſuitæ animadverterent, aliud quiddam ex intimo artificio depromendum ſibi judicarunt, ut refractariolum iſtum tandem contubernio ſuo vindicarent. Scribit Maffeius in S. Ignatij Loyolæ vita lib.3. capit.11. *Eum artibus diaboli uti ſolitum ad juvandos homines [illegible] quo ad fas eſſet: voluntates ſcilicet hominum, ac naturas eorum, cum quibus agebat, feſtine*

odorando: ambitioſis ſplendida, avaris utilia, voluptuoſis jucunda proponendo, & ſuo, quod aiunt, hamo vel eſcâ quemque piſcando. Sic confitentem clari nominis Ieſuitam habemus, Societatis ſuæ homines arte diabolica uti ad homines piſcandos, & ad ſe pertrahendos. Sed *quo ad fas eſt.* Fas verò habent omnes homines juvare, id eſt, ſui ſimiles efficere, exemplo ſcilicet Pauli Apoſtoli, cujus hoc ad Regem Agrippam & Præſidem Feſtum Act. 26. votum legimus: *Opto apud Deum non tantùm te, ſed etiam omnes qui me audiunt, fieri tales qualis & ego ſum.* Quod ergo homines in naſſam ſuam adigens, aut hamo captans facit diabolus, ut uniuſcujuſq; naturam, quidque expetere quiſque ſoleat, omnium primum diligenter inveſtiget, tum eam hamo eſcam inducat, quam ſciat appetituros piſciculos, idem ipſum Ieſuitæ faciunt, quoties pueros nobilitate aut opibus, aut formâ, aut ingenio pollentes piſcantur. Primùm omnium diligentiſſimè rationem habent, quæ cujuſque natura ſit, quidque expetere præcipuè ſoleat. Ambitioſiores enim ſeſe boni alicujus cauſâ magni pendi, ac propterea coli, honorari, cæteriſque præferri, & anteponi, eoſque ſibi ſubjectos, & dicto audientes habere contendunt. Alij aſtutiores utilitatibus omnia metiuntur, ut nimirum

non

non modò nihil ipſis ad vitam agendam deſit,ſed etiam ſuperfluat. Alij denique molles & voluptuarij ea conſectantur, quę ſenſus eorum jucundè movere poſſint. Iam quid Ieſuitas ambitioſis proponere, quâque eſcâ hamo obductâ eos piſcari arbitrabimur? Nimirum quod ante oculos eſt ac patet, atque à nemine negari poteſt. Habent Ieſuitæ ſummę virtutis,imò Sanctitatis opinionem, ut non modò cęteris hominum, ſed etiam aliarum religioſarum ſodalitatum hominibus prętare cenſeantur: quod verò ad literas divinarumque & humanarum rerum ſcientiam attinet, ipſi quanti quanti ſunt, nihil niſi ſapientia, alij futiles ſunt, inertes, ſomnia, qui præ pleriſque Ieſuitis digni non ſint ut figant palum in pariete.Signũ quippe ſcientis eſt poſſe docere. Ieſuitæ autem ſoli prope docent, & orbis totius terrarum magiſtri ſunt: omnes ſcholas,omnes cathedras ſui ſodalitij hominibus occuparunt. Novam Grammaticam,novam Rhetoricam,novam Logicam, Phyſicam, Metaphyſicam,Arithmeticam,Mathematicam, Ethicam, Politicam. Quid verbis opus eſt? novam Philoſophiam & novam Theologiam Ieſuitæ invenerunt, excuſſis omnium eorum libris, qui prius fuerant in manibus. *Reprobatio autem fit præcedentis propter infirmitatem ejus, & inutili-*

tatem, nam ſi illud prius culpâ vacaſſet, non utique ſecundi locus inquireretur, ut Apoſtolus Hebr. 7.& 8. diſputat. Infirmi ergo & inutiles fuerunt, nec culpâ vacarunt, quotquot ante exortos Ieſuitas ſcientias, artes, & diſciplinas hominibus tradiderunt. Aliter Ieſuitis locus datus minimè fuiſſet. Hoc vel Catalogus librorum à Societatis hominibus editorum facilè probaverit, hoc ingentis molis Commentarij in Virgilium, Ovidium, Martialem, & in ſingulos ſacræ Scripturæ libros, qui ſubinde à diverſis emittuntur: ex quibus ſi detrahas ea, quæ aliunde emendicarunt, tum illæ Indicorum elephantorum moles vix iuſtam burdoni, manno, buvrico aut cuivis aſello ſarcinam inſtruxerint, & Corniculæ iſtæ furtivis nudatæ plumis & coloribus cachinnos omnibus moveant. Sed illi noverunt pauciſſimos eſſe, qui id genus furtorum & plagiorum ipſis ſint conſcij, ſatisque habent, ſi Principes, Magnates, fœminæ ac pueri, major generis humani pars, tot tam ingentium voluminum auctores ſapientiæ & eruditionis nomine admiretur, longeque omnibus aliis Theologis, Philoſophis, oratoribus & poëtis anteponat. Hinc quippe fit, ut quod ait Salomo, *filius ſapiens dominetur filiis ſtultis*, omnesque ſe etiam Imperatores, Reges, Principes ac rerum publicarum optimates

mates Ieſuitis velut ſapientiſſimis ſine retrectatione ſubjiciant, eos conſcientiarum omniumque arcanorum cognitores arbitrosque capiant, ac non modò dicto eorum audientes ſe præbeant, ſed etiam nutus obſervent, omninoque nec facere quicquam, nec ſapere ſibi præterquam ipſis viſum ſit, permittant. Hoc enimvero eſt regnum generis humani obtinere ac paulò minus eſſe, quàm præſentem Deum: utique cùm Summus Pontifex etiam ipſe non temerè Ieſuitarum illorum, quos Regum magnorumque Principum Confeſſarios eſſe novit, offenſam excipere animum inducat, uſu quippe doctus, eos crebris occaſionibus faciendi, unde ægrè ipſis ſit, minimè deſtitui, nec eis non diligenter occurrere ſolere. His porrò rebus conſequens eſt, ut homines ſic ſtudioſos & à ſe pendentes ſuâ ſuffragatione ad opes & honores maximos producere, eorum viciſſim incrementis intercedere, fortunas omnes peſſum premere, ac ſpes quoque emergendi irritas facere perimereque poſſint, quos vel non ſatis benevolis erga ipſos animis præditos eſſe, vel aliquas libertatis reliquias retinere, & ad imperia ipſorum parum agiles occurrere animadverterint. Sic ergo Chriſto diabolus, *Hæc omnia dabo tibi, ſi procidens adoraveris me:* ita Ieſuitæ ar-

tibus ſuis, quo ad fas eſt, utentes ambitioſis hominibus, quos in Societatem ſuam cooptatos cupiunt: Hæc (inquiunt) omnia tam ſplendida te ſequentur, ſi te infibulaveris tuumque ſodalitati noſtræ nomen dederis.

Illis deinde, quos vel cum rei familiaris anguſtiis conflictaturos apparet, vel nobili aut alioquin honeſto loco natos rem minùs ex ſententia domi ſtructam habere, adeoque paupertatis onus grauiùs ferre intelligunt, nullo negotio fidem facere poſſunt, ſi Ieſuitæ fiant, de cultu, victu & amictu ſatis eis in omnem vitam proſpectum fore, ut cuivis Principi, aut quicumque fortunas maximè conſtabilitas habere videatur, citiùs, quàm ipſis, prætimendum ſit egeſtatis periculum. Spem etiam aliena exempla eis afferunt, fore ut in Societate iis præficiantur officiis ſeu muneribus, in quibus magnas pecuniarum ſummas ſuo ferè arbitratu diſpenſandi, atque inde etiam in conſanguineos non minimum convertendi facultatem nanciſcantur. Quæ quidem facultas quanta ſit ex ſubjectis aphoriſmis, qui in libro Marianæ leguntur, judicium fieri poteſt.

Ex capite octavo aphoriſmus 71. *Ieſuitæ Laici ſunt animoſi in faciendis expenſis, non aliter quàm ſi Comitum eſſent filij.*

72. *Ieſuitarum Superiores habent imperium*

nimis

nimis abſolutum & independens, ac quicquid cuique libet, faciunt, quod alter ædificavit, alter diruit: quod alter plantavit, alter evellit: quæ res maximarum impenſarum cauſam præbet.

74. *Inter Ieſuitas non ſolent bonâ fide impenſarum rationes exigi, & quamvis exigi ſolerent, tamen ſi quis Rector aut Procurator minùs fidelis ſit, magnas pecuniarum ſummas dilapidare poteſt.*

Ex cap. XIV. aphoriſmus 90. *Provinciales & Rectores Ieſuitarum, ſi vel graviſſimè peccent violando Regulam ac ſtatuta, ædificando & diruendo ſine ulla neceſſitate & nemine conſulto, dilapidando facultates Societatis, aut largiendo conſanguineis, non niſi poſt multos demum annos puniuntur, ſed non aliâ pœnâ, quàm ut eis abrogetur officium, quod geſſerunt, dato plerumque officio meliori.*

Ex Epilogo aphor. 102. *Major pars Ieſuitarum, qui Profeſſi ſunt, non ſervant paupertatis votum, cùm vivant in Collegiis eorumque reditus conſumant.*

103. *Multa Romam Generali Ieſuitarum ex collegiis munera mittuntur ad conciliandam ejus gratiam, ita ut periculum ſit, ne tandem officia Societatis pecuniâ emantur.*

106. *Multi Ieſuitæ multos annos manent proprietarij, multique ſunt inter eos otioſi, nullam ad rem utiles.*

108. *Ieſuitæ nimios ſumtus faciunt ac rem fa-*

miliarem dilapidant maleque perdunt.

Illa ergo ſunt, quæ velut certa, explorata & ante oculos omnium poſita Ieſuitarum antiquiſſimus, graviſſimus & doctiſſimus affirmat, ut quin veriſſima ſint, nemini ſano dubium eſſe poſſit. Quomodo verò non ſaliva moveatur hominibus ad utilitatem vitæque agendæ copias omnia referentibus, ut & ipſi dato in Ieſuitas nomine tantarum rei bene gerendæ occaſionum fiant compotes? Neque tamen non aliæ ſuperſunt viæ ad corradendas in Societate pecunias, quas ex ejuſdem Marianæ Aphoriſmo 101. cap. 20. poſſis intelligere.

Ieſuitæ (inquit) *ſub pietatis ſpecie multis implicantur negotiis valde alienis, magisque ſæcularibus, quàm ſpiritualibus: Verbi gratia, Conciliant matrimonia* [ſive ſtata & perpetua, ſive quotidiana aut diurna intelligas, fortaſſe non multùm erraveris. Ambroſius quidem Spinula talem conciliatorem habuiſſe fertur Car. Scribanium, cujus comitate templi Ieſuitici ſacrarium ſeu Sacriſtia facta fuerit Didonis & Ducis Troiani Spelunca] *condunt ſæcularibus ſua teſtamenta, patrocinantur litigantibus, aut gratiam aliquam apud magnates & judices ambientibus, proſpiciunt eis delicias & neceſſitates domeſticas, ut propediem videantur ſuſcepturi etiam officium, Majoris domus* ſive Oeco-

nomi

nomi *apud Principes, niſi jam id ſuſcepe-runt.*

Significat quidem Mariana, pleroſque i-ſta facere, ut auctoritatem ſibi concilient, ſeque Magnatum gratiâ ac favore adverſus Superiores minus ſibi propitios muniant: nō tamen negat, multiplicem in iſtis occaſio-nem dari non mediocres pecuniæ ſummas conficiendi, quibus nemine conſcio arbitra-tu ſuo uti poſſint. Id ipſum verò occaſione audiendi peccatorum confeſſiones uſuveni-re poſſe quis non intelligat? Iubetur confeſ-ſus peccata ſua eleemoſynis redimere, affir-mat Confeſſarius, noviſſe ſe honeſtam vi-duam cum prole numeroſa, quam mendica-re pudeat, aut virginem nubilem, ſed dote caſſam adeoque illocabilem, cujus pudicitiæ egeſtas periculum intentet, aut præclaræ indolis adoleſcentem, cui æs deſit ad libros ſtudio neceſſarios mercandos: magnoperè etiam Pœnitenti aſſeverat, nuſquam eum e-leemoſynas ſuas meliùs magisque ex animæ ſuæ uſu collocare poſſe. Iam non temerè in-veneris, qui quem conſcientiæ arbitrum & inſpectorem ceperit, cuíque omnia cordis penitiſſimi arcana & animæ ſuæ ſalutem crediderit, ei non multò tutiùs pecuniam ſe crediturum ſtatuat. Sic ſcilicet Patri con-feſſario uſuvenit, ut nemine prorſus conſcio

Nonnumquam gravis ære domum ſua dextra revertat.

Hominibus denique voluptariis & otij ac deliciarum amantioribus ſi proponere Ieſuitæ velint, quo eos in Societatem ſuam alliciant,minimè verendum eſt,ne materia eos deficiat, cùm ea de re in aphoriſmis, quos ſubjiciam, ſic confitentem habeamus Marianam.

Ex cap.v.aphoriſmo 46.*Nouitij eo ipſo tempore, quo pietas eorum fervet cum maximè,exquiſitis epulis ac fructibus paſcuntur variiſque deliciis & plurimis commoditatibus adſueſiunt, ex quo fit, ut animi magnæ partis Ieſuitarum ſint amantes deliciarum, laborum verò ac moleſtiarum intolerantes,adeoque pedibus iter facere & frigus æſtumque tolerare nolint.*

48. *Multi Ieſuitæ diù multumque comedunt, neque tamen quicquam operis faciunt,contra mentem & praxin B.Ignatij, eaque res ære alieno Societatem obruit.*

50. *Ieſuitæ non ægrotant,neque moriuntur,quia nimium laboraverint, ſed quia intemperantiùs cibis ſe repleverint ac delicatè nimis vixerint.*

Ex cap.VII. aphoriſ.65. *Ieſuitæ quaſi ex dimidia parte ſunt Laici, quorum duo tantum conſumunt,quantum tres Sacerdotes. Multum enim comedunt, multum bibunt, multum rumpunt aut frangunt.*

67. *So-*

67. *Societatem perdit nimia Laicorum multitudo, quoniam volunt Novicios & Studentes in nimio otio educare, neque ulli labori admouere.*

Ex cap. VIII. aphoriſ. 70. *Ieſuitæ ſunt nimis lauti & ſumtuoſi in veſtitu aliisque rebus neceſſariis.*

Ex cap. VIIII. aphoriſ. 76. *Ieſuitarum prædia ruſtica cauſæ ſunt, cur in illis animus reddatur parum humilis, & parum ſpiritualis.*

Ex Epilogo aphoriſ. 104. *Multi Ieſuitæ faciunt itinera, & majore pompâ, quàm paupertatem profeſſis conveniat. Omnes curru vehi volunt, nemo pedibus iter facere.*

105. *Multæ ſunt Ieſuitarum recreationes quæ alicubi multos menſes durant.*

107. *Deliciæ nonnullorum Ieſuitarum ſunt nimiæ, eisque nocent.*

Hujuſmodi ergo ſunt Artes, quibus Ieſuitæ velut Hamo piſcari homines ſolent. In piſcando tamen Virginio Cęſarino adeò eas exacuerunt, ut longè ſe ipſi ſuperaſſe videantur. Quod enim adoleſcentem ſummo loco natum, & inſigni corporis ſpecie præditum animo elatiorem, & honorum atque imperij præter cęteros cupidum eſſe conjicerent, eam Mathematico, an Chaldæo, neſcio cui dederunt provinciam, ut inſpectâ ejus geneſi omnis vitæ fata ei digereret, cumque ſic affecto cœlo, ſideribusque compoſitis or-

tum prædicaret, ut ei circiter annum ætatis quadrageſimum ſummam Societatis Ieſu præfecturam non dubiè aſtra portenderent. Quo facto is, quem dixi, Angelus cuſtos ejus, felici eum prorſusque invidendo aſtro natum prædicare, cui in fatis eſſet ejus amplitudinis imperio potiri: nec enim temerè Regem quemquam Principemque nominari poſſe, cujus poteſtas aut legum vinculis minùs adſtricta ſit, aut æquè amplis regionum orarumque ultimarum finibus terminetur. Verè regium, imò deſpoticum ſive herile & abſolutum Patris Generalis in omnes totius orbis Ieſuitas éſſe imperium. Omnes illos, qui in variis regnis ac provinciis Societati quocumque poteſtatis nomine præſint, ſolius Generalis arbitratu conſtitui, loco moveri, aut aliò transferri, ac propterea ex nutu ejus pendere, certatimque id agere, ut apud eum gratioſi ſint, eique ex libidine ſubſerviant: neque cuiquam Regi, aut Principi, atque adeò nec ipſi Pontifici facile eſſe huic eius in Societatis homines imperio ſive auctoritate ſuâ, ſive gratiâ intercedere, aut ea in re illum impedire. Nullius enim negotij eſſe illis perſuadere, cœcam obediẽtiam eſſe firmamentum Societatis, cui minuendæ ſi detur aditus, actum jam fore de Socie-

Societate, ut utilem Eccleſiæ operam porrò navare minimè poſſit. Etſi autem ſuæ Societati leges ſint, Generalem tamen verè omnibus illis ſolutum eſſe, cùm penes ipſum ſit jus leges interpretandi pro eo, ac conſervationi Societatis expedire cenſeat, atque etiam ſolvendi legibus, quoties ita faciendum ſua ei dictet prudentia. Huc accedere, quod nihil eum effugere aut occultum ei eſſe poſſit, quicquid non modò in Societate, ſed etiam extra illam, in quacumque orbis parte geritur. Voto enim Ieſuitas omnes teneri obſtrictos, ut cùm ſua, tum aliena peccata quamvis occultiſſima, atque etiam omnes naturæ ſuæ proclivitates & vitioſas appetitiones Superioribus ſuis non aliter quã ipſi Deo revelent: immo verò Gregorij XIII. Põtificis vivæ vocis oraculo eis permiſſũ eſſe, ut quoties Societatis ſalus & cõſervatio id poſtulare videatur, Sacramẽti Confeſſionis ſecretũ ſine ullo piaculo ſuperioribus revelare poſſint. Ita fieri ut plus, quàm quiſquam mortalium, Pater Generalis arcana generis humani perſpecta habeat, ex eoque Societatis regimen dirigere ſuumque imperium ſtabilire poſſit. Omnibus quippe hebdomadis ex omnibus undique mundi totius partibus literas ad eum advolare, quæ illum non mo-

dò de Societatis, ſed etiam de variorum regnorum ac provinciarum àrcanis certiorem faciant, eamque ob rem optimè collocata videri triginta aureorum millia, quæ quotannis Societas tabellariis expenſa ferre ſoleat. Iam de ejuſdem Generalis potentiâ vel hinc decerni poſſe, quod ubicunque Ieſuitę ſunt, ibi bene magnam mulierum & puerorum partem, & ex viris, atque iis primariis non paucos de ſe pendentes, ſe reſpicientes & dicto audientes habent, & in Aulis præcipuè, ſi minùs apud ipſos Principes, apud eos quidem certè, qui principem gratiæ eorum tenent, multùm auctoritate pollent. Hinc porrò vſuvenire, ut multi alij Ieſuitis propitiis uti expetant, quod eorum interventu minùs difficulter ſe à Principibus quod velint impetraturos intelligant. Quin etiam ipſum Pontificem hoc nomine Societatem magnifacere, quòd ejus operâ Principes dicto audientiores habere poſſit. Itaque longè amplius & honorificentius merito cenſeri Generalem Societatis, quàm Cardinalem eſſe, cùm Generalis operâ ſuâ Cardinales facere, quodq; multò eſt amplius, in Pontificatu conſequendo quem velit inſigniter adjuvare, quemque minus amet, impedire ac ſubmovere poſſit. Reges enim & Principes ſuffragatione ſuâ cùm purpuram, tum ſum-
mam

riam rerum iis, quorum erga ſe ſpectata ſit fides & amicitia, conficere ſtudere, proclive autem Generali negotium eſſe, ut ſive ipſis, ſive eorum Conſiliariis per Confeſſarios eorum Ieſuitas perſuadeat, in alio, ſi juvetur, fructum eis eſſe, in alio operam perdi. Huc accedere, quod plerique Cardinalium cum rei familiaris anguſtiis luctentur, adeoque ad tolerandam ſuam ſuorumve egeſtatem vel à Pontificum conſanguineis, vel à Regibus ac Principibus ſtipes annuas velut ſervitutis pretia vel auctoramenta ambire neceſſe habeant: qua in re quoniam ſe commendatione Ieſuitarum multùm juvari poſſe aliorum exemplis moneantur, ſic fieri ut ultrò tantum non obnoxij ſupplicesve Generali fiant, nulloque non obſequij genere eum demereri propitiumque ſibi reddere ſtudeant: atque hoc eſſe, quod ad *congregationes*, quas vocant ſive ſodalitia *B. Virginis*, in quibus ſodales pietatis exercitia Ieſuitâ præmonſtratore obire ſolent, tanto certamine non plebeji modò homines, ſed etiam ex Nobilitate, & ex Antiſtitum ſeu Prælatorum numero atque adeò ipſorum Cardinalium præcipui quique convolare ſoleant. nec enim uſquam alibi certiore experimento diſci, quàm fides Apoſtolicæ illi conſtet ſententiæ, *Pietas ad omnia utilis eſt.* Alij aliis

ſcilicet ſodalium eâ occaſione noti fiunt, & humiliores ope illorum, qui altiorem tenent locum, aut gratiâ ſublevantur: omnes verò Ieſuitarum gratiâ eo obſequij genere conciliatâ ſibi pietatis & probitatis opinionem acceſſuram, nec ullo loco ſibi eorundem Ieſuitarum patrocinium & ſuffragationem defuturam eſſe meritò confidunt. Hæc & horum ſimilia Cæſarino cuſtos ſuus cantabat, ut tanti imperij ſpe ineſcatum in Societatem ſuam pertraheret: in quibus ut nonnulla magis propoſito obtinendo idonea, quã veritati conſentanea fuerint (quémadmodum Chriſtiana caritas nobis perſuadere debet) pleraque tamen minimè pro vano jactata eſſe, ex his Marianæ aphoriſmis cognoſci poteſt.

Ex capite 11. aphoriſ. 10. *In Societate totum regimen ſeu ſummum imperium in unius hominis capite eſt locatum.*

11. *Generalis Ieſuitarum habet imperium independens & abſolutum: qui etiamſi deliret* ſive aberret, *majorem tamen Societatis partem ſibi aſſentientem habet. Alij enim idem errant, alij ut gratum ei faciant, ſubſcribunt: alij iique major pars ſuperiori ſuo tam potenti contradicere non audent, ſive ut quietè, & pacatè vivere, ſive ut officia & dignitates uel adipiſci, vel retinere poſſint.*

13. *Si ipſe Paulus Apoſtolus Generali Ieſuitarum,*

rum,

rum, & aſſentatoribus ejus contradiceret, neque errores illorum probaret, futurum eſſet, ut pro extravagante, inquieto, & turbatore pacis haberetur.

Ex cap. III. aphoriſ. 20. *Officia in Societate non dantur melioribus, ſed iis in quibus Generalis plus habet fiduciæ, quamvis mille habeant defectus, & vel pauca, vel nulla ad officium requiſita.*

24. *Totum Societatis regimen fundatum eſt in Syndicationibus ſeu Delaturis, quæ ſunt tanquam fel toto corpore diffuſum, ita ut nemo vel fratri ſuo germano fidem habere poſſit; ſed metuere neceſſe habeat, ne is Delatorem agat, & alienâ impenſâ ſui Superioris, præcipueque Generalis gratiam lucrari velit.*

Ex cap. IV. aphoriſ. 35. *Ieſuitæ, qui Romæ ſunt circa Generalem, quamvis ſint terræ filii & ſcarabæi ex ſtercore nati, quia tamen Generali ſtudium ſuum in vindicanda ejus auctoritate venditant, omnibus ſe opponere non dubitant, & ſi quis eorum graves magnique momenti errores improbet, Leonum inſtar infeſtis in eum animis invadunt.*

Ex cap. VIII. aphoriſ. 73. *Ieſuitæ quotannis in lites ac vecturas librorum ac literarum plusquam quinquaginta millia ducatorum impendunt.*

Ex cap. IX. aphoriſ. 77. *Monarchia Generalis Ieſuitarum eſt Tyrannica, cùm non imperet ſecundùm leges in infinitis negotiis: nam aut nullæ exſtant leges, aut ſi exſtent, in iis diſpenſat. Non*

etiam utitur conſilio, niſi duorum aut trium in unaquaque provincia, quos ſibi novit obnoxios: reliquos omnes quamvis multò meliores & doctiores, contemnit.

Ex cap. xi. aphoriſ. 78. *Omnes Provinciales & Superiores Ieſuitarum Tyrannicè imperant ſibi ſubjectis. Facit enim unusquisque quicquid libet, & quamvis cæcus ſit, eos, qui vident, illam inire viam cogit, quæ ipſi probatur. Itaque imperatur invitis.*

79. *In Societate de multis caſibus non exſtant leges, neque pœna propoſita eſt ei, qui aberrat in imperando, & ſi quæ tunc leges, eas non obſervant illi, qui præſunt, aut pro libito interpretantur.*

80. *Superiores Ieſuitarum ſunt homines indigni, qui officiis præſint, cùm Generalis metuat ac ſublatos velit, quorum eminentes ſunt virtutes. Boni quàm mali, ei ſuſpectiores ſunt.*

82. *Generalis Ieſuitarum eoſdem homines in officiis ſive præfecturis ſubinde reficit, & imperium eorum perpetuat, quoniam Monarchiæ ſuæ ſic expedire cenſet, cujus cõſervationi unicè ſtudet, nam cæteros, quos minùs habet cognitos, metuit,* ne ſcilicet Monarchiæ ſuæ impedimentum afferant.

83. *Multi inter Ieſuitas ſunt Delatores, quamvis honeſtiori nomine appellentur, qui malefaciendo gratiam Superiorum ſibi conciliant: Adulatores etiam non pauci, eſtque valde frequens in Societate*

tate Adulationis vitium.

Ex cap. XIII. aphoriſ.85. *Delatores, teterrimum genus hominum; quos ipſi quoque gentiles Imperatores morte afficiendos putabant, quibus priſca concilia ne in mortis quidem articulo communionem corporis Chriſti permittebant, in Societate velut neceſſarij tolerantur: ex quo fit, ut perierit inter Ieſuitas animorum conſenſus & caritas fraterna, dum nemo alteri fidit; ſed ab omnibus metuit.*

86. *Generalis Ieſuitarum ex nimio abſoluti imperij amore Delaturas in ſcrinia ſua* ſive archiuum *admittit, iisque credit, non audito eo, qui accuſatur: quod injuſtitiæ genus ab ipſis etiam Ethnicis improbabatur.*

Ex cap. XV. aphoriſ.92. *Generalis Ieſuitarum in imperando non bonis regibus ac principibus ſe facit ſimilem, qui Senatum magni fecerunt, ſed Tyrannos mavult imitari; nominatimque Tarquinium Superbū; qui ante omnia conatus eſt debilitare Senatus numerum & auctoritatem; ut omnia ſuo libitu facere poſſet. Similiter Generalis cum Aſſiſtentibus ſuis odit Congregationes generales, omniaque experitur, ne tales inſtituantur conventus, quibus rerum geſtarum rationem reddere neceſſe habeat.*

Ex cap. XVI. aphoriſ. 93. *Generalis cum Aſſiſtentibus ridet ea, quæ ipſi à Provincialibus Congregationibus proponuntur; & pluris facit, quæ*

unus aliquis ſcribit, quem ſibi novit obnoxium: idque facit propter nimium Zelum alendæ & amplificandæ ſuæ Monarchiæ.

Ex cap.XVII. aphoriſ.96. *Generalis in eligendis officialibus non curat quod ſit cuiusque talentum aut dotes eminentiores, ſed quàm bene ſecum aut cum Provinciali ſuo conformetur: quæ cauſa eſt, cur homines viles & abjecti animi officiis præponantur, qui à Superioribus duci ſe ſinant ut nervis alienis mobile lignum.*

Etſi autem acutiſſimè ſibi Ieſuitæ commenti eſſe viſi ſunt, nihil tamen iſta omnia Cæſarinum moverunt. Primum enim id, quod ſuus ei Cuſtos propoſuerat, nec bonũ judicabat, nec certum. *Non bonum*, quia Ariſtoteli aſſentiebatur, Tyrannidem malorum omnium peſſimum exiſtimanti, & velut animo generoſo præditus longè pluris faciebat imperio dignum eſſe, quàm imperare, neque etiam non graviter indignabatur, Generalem Ieſuitarum omnia illa, quæ propter Dei gloriam, & ſalutem animarum in Societate fiunt, ad conſervandum & amplificandum imperium ſuum referre: quod contra fieri ab eo oportebat, qui Chriſti ſe ſervum videri poſtulat. *Non certum*, quoniam omnia Chaldæorum theoremata pro vaniſſimis habebat, nec in eo, qui vel mediocri eſſet judicio, & eruditione, ullo modo tolerare

pote-

poterat: in primis autem ſtomachabatur, tantam Romæ genethliacis maximos quoſque Antiſtites, atque ipſos etiam religioſæ profeſſionis homines fidem adjungere, cùm ſciant ſacros Canones infamiæ pœnam eis irrogare, qui Cacodæmonem per eos reſpondentem conſulunt. Deinde autem id, quod ei non proponebatur, ipſe tamen ſibi imminere probè intelligebat, & *Malum* cenſebat & *Certum*, ut nimirum in Societate uſque ad annum ætatis quadrageſimum Aſſentatorem ac Delatorem agere, iisque artibus Superiorum gratiam colligere, aut certè jacere & plebs eſſe neceſſe haberet: quorum utrumque, quâ erat animi ingenuitate ac nobilitate toto pectore abominabatur. Suūm ergo Cuſtodem ſic eluſit, ut ſe cùm Romam adiiſſet, ibi conſilium in arena capere velle diceret. Sed interea accidit, ut prolapſu equi, quo vehebatur crus ſibi frangeret: quod ubi Ieſuitarum Generali renunciatum eſt, ad Cuſtodem ejus dedit ille literas, cúmque occaſioni huic occurrere etiam atque etiam monuit. Demonſtraret Virginio, ei ſimile quiddam ac B. Ignatio Societatis auctori contigiſſe, cui vulnus in crure acceptum ad nuncium ſæculo remittendum, & ad amplectendum religioſum vitæ genus incitamento fuerit. Magnoperè

proinde ei perſuaſum iret, eum prorſus ad Ignatij exemplum divinitùs in Societatem vocari: Et quoniam adoleſcentis animus videretur eſſe parum ſtabilis, rectè Cuſtodem facturum, ſi in audienda peccatorum ejus exomologeſi eum impellat, ut Voti religione ſe ſi convaluiſſet ad nomen Societati dandum obſtringat. Hoc ejus conſilium minimè abſurdum judicās Cuſtos, dum mēſtruæ Confeſſionis tempus Virginio appeteret, impatienter expectabat. Sed Dei aliter ſtatuentis nutu contigit, ut quadam die cùm Cuſtos ex conſuetudine Virginij lectulo inſidens femorali ſacculo ſudarium extraheret, illa Patris Generalis epiſtola non animadvertenti, excideret, quam Virginius clā involatam noctu cuſtode dimiſſo tranſlegit, quæque ſibi tenderentur inſidiæ cognovit. Et quoniam, ut ait Salomo, *Fruſtrà jacitur rete ante oculos pennatorum*, omnis ille Ieſuitarum conatus inanis irritusque exiit, auditusque crebrò fuit Virginius cum amicis rei geſtæ ordinem enarrans acclamaret: *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.* Ieſuitis verò cum hamatili ſuo piſcatu uſuvenit illud Iſai.19. *Mœrebunt Piſcatores, & lugebunt omnes mittentes in flumen hamum.*

Atque iſta ſic ab ipſo Cæſarino narrata fieri non potuit quin ſtomachum Pontifici

move-

moverent, ut hominum de Schola animos illo in pueros imperio præferoces, ac jam Monarchiam totius orbis ſomniantes meritò judicaret quacumque ratione ſubdomandos, ſive ut ipſi elegantię cauſâ cum Maffeio ſuo illo Societatis Livio loqui malunt, *mortificandos* eſſe. Id autem rectè cenſebat præſtari ſatis poſſe, ſi Marianæ liber ab omnibus legeretur, neque Ieſuitis ad impetrandam ejus prohibitionem virium ſatis eſſe omnes intelligerent. Sic uſuvenit, ut invitis, anxiis, dolentibus, fatique ſui triſtitiam & acerbitatem complorantibus Ieſuitis liber ille paſſim in Italia, atque etiam in ipſa Vrbe rerum domina lectitaretur, vulgoque acclamantium, applaudentium, inſultantium, iſtisque novæ Monarchiæ conditoribus tam ſtrenuè vapulantibus faventium voces exaudirentur. Tandem tamen quod credo metueret Pontifex, ne fortè Generalis Ieſuitarum *abundantiori triſtitia abſorberetur*, *eligeretque ſuſpendium anima ejus*, exorari ſe paſſus eſt, ut librum Marianæ edicto notari, omnibusque lectione ejus interdici pateretur. Nunc ergo meritò eum omnes poſſidere legereque cavent, in Italia quidem certè, ubi & Concilij Tridentini & Congregationis Romanæ Indici librorum præpoſitæ ſacroſancta eſt auctoritas. Trans-Alpes enim Ca-

tholici non æquè ſe vel Concilij, vel Congregationis dictæ legibus ſubjecerunt, adeoque nemo ſibi privilegium irrogari patitur, ut ipſe ſolus eo teneatur, quod aliis pleriſq; omnibus liberum eſſe ac ſolutum videat: qua quidem in re nihil eos peccare, ipſe Gretſerus Ieſuita in libro ſuo primo de Iure & more prohibendi libros malos cap. 38. ex Navarro & Felino demonſtrat. In Hiſpaniis autem alio librorum vetitorum indice vtũtur, eoque fit, ut plures libri palàm ibi vænales proſtent, quos in Italia legere piaculare, ſit, ſicut rurſum alios ibi legere nefas habẽt, quos Romæ nemini religio ſit cognoſcere. Veneti noſtri ſatis ſe Catholici hominis officio fungi arbitrantur, ſi libris fidem Catholicam bonoſque mores ex profeſſo oppugnantibus ſe abſtineant, cęterùm nec Romano, nec Hiſpanico librorum Indice ſe obligari patiuntur: neque eo nomine quiſquam adhuc Romanorum Pontificum Venetæ Reip. negotium faceſſere animum induxit: quod de communi Theologorum & Iuriſconſultorum ſententia argumento eſt, hanc legibus Indicis parendi neceſſitatem Venetis Pontifices remiſiſſe. Sed quicquid ſit de aliis, ego non niſi obſequij gloriam mihi reliquam eſſe exiſtimo, nec hoc mihi ſumo, ut in cauſas curioſius inquiram, quibus ad-

bus adducti Superiores aliquid decernendũ cenſuerunt, adeoque nec ipſe poſthac Marianæ librum legere ſuſtineo (etſi optimo animo ſcriptum præceptisque conſervandæ Societati Ieſu maximè idoneis pleniſſimum eſſe ſcio, neque quicquam aut rectę fidei, aut bonis moribus in eo repugnans inveniri exploratiſſimum habeo) nec cauſam pro illis dicere auſim, quibus hoc nomine vilior eſt Romanæ cenſuræ in Marianam notio, quoniam Generalis Ieſuitarum improbitas Cõgregationi Indicis librorum eam extorſerit, ut locum hîc habeat, quod de Chriſto apud Pilatum accuſato legimus: *Sciebat Pilatus, quod per invidiam tradidiſſent eum ſummi Sacerdotes.* Sed quoniam ut à primo dixi, vehementer Reipub. Venetæ intereſt, ut hominibus, qui ſub ejus ſunt imperio, liquidò cõſtet, graviſſimas Senatui Veneto cauſas fuiſſe, cur imperij ſui adoleſcentes ad Ieſuitarũ ſcholas accedere vetaret: viſum mihi eſt, ſententias quaſdam ſive Aphoriſmos ex libro illo excerpere, quibus legendis abeſſe non poſſit, quin omnes Senatus cauſam probent, ſapientiſſimeque ab eodem conſultum fuiſſe aſſentiant. Confitentem enim habemus Marianam, minimum utilitatis eſſe, quam ex Ieſuitarum diſciplina non jam externi, ſed ipſi etiam Ieſuitæ capere poſ-

ſint. Pariter enim Literas & Mores perperam in Societate doceri: & Literas quidem partim Perſonarum vitio, quæ literas docent, partim Modi culpâ, quo in docendo utuntur. De Perſonis ſubjecti Aphoriſmi loquuntur.

Ex cap. VI. aphoriſm. 53. *Ieſuitæ ſub prætextu juventutis ad virtutes dirigendæ provinciam docendi politiores literas in ſe ſuſceperunt: ſed plerumque* ſive ordinariè *biennium aut triennium illi profitentur literas, qui eas neque didicerunt unquam, neque diſcere volunt, adeoque ſolæciſmos & barbariſmos diſcipulis imprimunt, quibus nunquam poſtea liberari poſſunt.*

54. *In Hiſpania hodie magna regnat barbaries ac latinæ linguæ imperitia. Ejus rei princeps cauſa ſine dubio eſt Ieſuitarum docendi ratio.*

56. *In Societate Ieſu vix quiſquam eſt, qui rectè noverit Grammaticam, poëticam, aliasque politioris literaturæ partes, & ſæcularibus hominibus docendi locum noſtri præripiunt, ex quo fit, ut nemo humaniores literas probè diſcat. Atque hæc cauſa eſt, cur vix inveniatur in Hiſpania, qui tria verba latina noverit.*

57. *In Societate quo quiſque eſt indoctior, eo pluris æſtimatur & honoribus præficitur: quod videntes reliqui omnes, aut ferè omnes, relinquunt iter doctrinæ, & ingrediuntur viam ignorantiæ.*

58. & 88. ex cap. XIV. *In Societate pauci ſunt*

boni

ioni Philoſophi ac Theologi, cùm tamen in eam ingrediantur tot tam præclara ingenia, & otio ac ſtudendi commoditatibus abundent, quia ſcilicet in literis Humanitatis fundamenta malè ab eis jacta ſunt.

Modum deinde, quo in docendo utuntur, arrogantiæ & ambitionis pleniſſimum eſſe ſignificat, cùm ipſi ſcilicet ſe ſolos ſapere ſtatuant, neque quicquam aliorum ſive monito, ſive exemplo diſcere animum inducant. Sic enim loquitur.

Ex cap. II. aphoriſ. 13. *Si ipſe Paulus Apoſtolus Ieſuitis contradiceret; neque errores illorum probaret, futurum eſſet, ut pro incommodo, inquieto, & turbatore pacis haberetur.*

18. *Ieſuitæ deberent cautè procedere, neque tantùm ſibi arrogare, ut vel putent, vel dicant, ſe nihil errare, ſuumque regimen omni culpâ carere.*

Ex cap. XIX. aphoriſ. 100. *Ieſuitæ indignum putant, ſe illud probare & amplecti, quod alij ipſo rerum uſu docti utile invenerunt: ex quo fit, ut omnis eorum vita conſumatur in tentando & capiendis rerum experimentis, atque nec ſapiant, nec diſcere etiam velint.*

Iam de Moribus, quos ipſi Ieſuitæ in Societate diſcunt, iſta eſt ejuſdem Marianæ ſententia.

Ex cap. V. aphoriſ. 51. *Ieſuitæ humilitatem, caſtitatem, patientiam, aliasque virtutes potiùs ſpe-*

culari ſeu meditari, *quàm opere ipſo exercere diſcunt.*

52. *Ieſuitæ nunquam diſcunt eſſe Homines, ac propterea non aliter, quàm Beſtiæ, ab aliis curari neceſſe habent.*

Quis jam cuiquam reliquus eſt dubitandi locus, quin rectè Senatus Venetus imperij ſui homines nihil utilitatis ex Ieſuitarum diſciplina percepturos ſtatuat, quam nihil ipſis Ieſuitis, nihil Hiſpanis prodeſſe ex tanti Ieſuitæ confeſſione didicerit? cùm tamen Hiſpani Societatem ipſam produxerint, & in hodiernam uſque diem alant liberaliſſimè, ita ut ex Catholici regis vectigalibus plusquam quingenta millia ducatorum quotannis capiant, ut nihil dicam de Hiſpaniæ Magnatibus, quorum ingentem erga eos munificentiam exſtare ſatis conſtat. Neque tamen hactenus tantùm Senatui Mariana advocationem commodat, quippe qui hoc amplius multis modis Societatem cùm publicè, tum privatim aliis damno eſſe fateatur. Publicè quidem, quoniam præſtantiſſima quæque ingenia venantur, quæ patriæ alioquin magno uſui eſſe poterant, neque tamen excolunt, ſed perire ſinunt vix ullam ad rem idoneos, quod hoc modo Mariana conqueritur.

Ex cap.XIV. aphoriſ.88. *Nulla eſt Monachorum*

rum religio, in quam plura excellentia ingredian-ur ingenia, quàm in Societatem Ieſu, nec ulla, in qua tantùm ſit ad ſtudendum otij: nihilominùs valde pauci evadunt literati, nulli ſunt excellen-es concionatores, nulli Eccleſiaſticarum rerum, nulli humaniorum literarum periti: quoniam nul-a proponuntur laborantibus præmia, imò verò hu-maniores literas docti contemnuntur.

Ex cap.VI. aphoriſ.55. *Si homines benè intel-ligerent damnum, quod ex Ieſuitarum ratione do-endi in publicum redundat, ſine dubio per decre-um publicum ſcholis Ieſuitas ejicerent: adeoque-rorſus mihi perſuadeo, idem eventurum nobis, quod Benedictinis olim, ut ſcholas tandem ſive ponte, ſive alienâ vi coacti miſſas faciamus.*

Privatim verò primùm innumeræ diſci-ulorum & auditorum multitudini nocent, quos partim ſolœciſmis & barbariſmis im-uunt, partim dictationibus nugarum ſua-um obruunt, & valetudinis jacturam facere cogunt: qua de re Marianæ verba ſunt:

Ex cap.VI. aphoriſm.53. *Ordinariè* ſeu ple-umque *ſemper biennium aut triennium illi Ie-uitæ profitentur humaniores literas, qui eas neque didicerunt unquam, neque diſcere volunt, adeoque diſcipulis imprimunt ſolœciſmos & barbariſmos, quibus nunquam liberari poſſunt. Et hinc fit, ut tanta regnet barbaries & latinæ linguæ imperitia.*

63. *Multi Ieſuitarum diſcipuli valetudinis ja-*

ćturam faciunt, cùm magiſtrorum dictata exciperé cogantur ; qui tempus multò meliùs collocarent; multoque doctiores fierent ; ſi potiùs auctores legerent, quàm magiſtrorum ; qui jam primùm docere incipiunt, dictata perſcriberent.

Vt autem damni iſtius genus & gravitas ſatis intelligatur, cùm res ſit momenti multò maximi , monendi ſunt Lectores , ut Ieſuitas non aliis Literarum magiſtris uti meminerint , quàm quos ipſi in ſcholis ſuis docuerint. Solent autem ſuis hominibus veterum linguæ latinæ auctorum lectione interdicere, aut certè non niſi eorum, quos Deliaci reciderint ſeu caſtrarint, multisque partibus admutilarint , lectionem permittere; quod domi (credo) docti & conjecturâ de ſe ipſis factâ pleroſque impunè ac ſine certiſſima morum præcipuéque caſtitatis jactura legi non poſſe ſtatuant. Eorum verò loco libros à Societatis hominibus ſcriptos legere eos jubent, Pontano putà, Perpiniano, Maffeio, Gallutio, Stephonio, Strada. Sic fit ut in auctoribus linguæ latinę ſint planè hoſpites, & imperiti , quod rectè Mariana nihil aliud eſſe judicat , quàm humaniores literas nunquam didiciſſe. Hi porrò quomodo abeſſe poteſt, quin idem ipſum diſcipulos doceant, quod in ſuis iſtis auctoribus invenerunt? Maffeio ergo auctore diſcipuli *breviorem*

ami-

amiculum dicent, pro brevius: *Secus flumen* pro ſecundùm: *Caligas* pro braccis femoralibus: *Voluptuoſum hominem* pro Voluptario: *Vt minimum* pro Ad minimum, vel Minimum: *Memoriter diſcere* pro Memoriæ mandare: *Adſtruere* pro Affirmare: *Mortificare ſpiritum* pro Domare, compeſcere: *Speculationem* pro Contemplatione: *Exorare aliquem* pro Rogare: *Mercimonium* pro Mercatura: *Ditionem* pro ſolo regni vel imperij,ſeu territorio. Pontani verò exemplo dicent, *Da mihi mutuò tuum calamum*,pro Da utendum,vel Commoda. Et cum elegantiarum patre Famiano Strada: *Mutuò accepi pecuniam*, pro Mutuam, & *Neceſſe habeo pecuniis*, pro opus mihi eſt.Et dubitabimus adhuc quin veriſſimè Mariana dixerit, Ieſuitarum diſcipulos ſolœciſmis ac barbariſmis imbui,eorumque diſciplinam barbariæ, quæ paſſim hodie viget, principem cauſam eſſe? Quod porrò ad Damnum illud attinet, quod idem Mariana diſcipulos excipiendis Ieſuitarum dictatis accipere agnoſcit,ne quis rem ita eſſe dubiũ habeat,ſcribit Poſſevinus,*Ieſuitas uſu* ſive experientiâ, *& multorum damno edoctos à more ſuo ſuo, quo prolixis lectionum dictationibus adoleſcentes fatigarant diſceſſiſſe,& ſcribendi laborem non tantùm moderatos eſſe, ſed omnino ſuſtuliſſe.* In quo etſi non tam pro Chriſtiano; ne di-

cam pro Ieſu Socio, quàm pro Sabbatario & Taurinenſis Iudæi filio palàm nullo pudore mentitur, dum in Ieſuitarum ſcholis dictationes ſublatas ait, illud tamen quòd dat accipimus, jam olim ſcilicet Ieſuitas experiundo didiciſſe, quàm iſtæ Profeſſorum dictationes minimè ſtudioſis adoleſcentibus cōducant. Quid ergo eſt, quòd eas tam pertinaciter retinent, nec cognito & confeſſo iſto juventutis damno quicquam commoveātur? Nimirum quid in Societatis rem ſit, ſi minùs unicè, præcipuè quidem certè ſpectare, de profectu verò commodoque extraneorum, quos docendos ſuſcipiunt, non æquè cordi habere ſolent. Itaque quamvis probè intelligant, frequentes iſtas & aſſiduas auditorum ſcriptiones *carnis afflictionem* eſſe, vehementerque valetudini multorum incommodare; nec paulùm doctiores diſcipulos futuros, ſi clarorum Philoſophorum & Theologorum libros editos legant, quàm ſi novitiorum magiſtrorum & in hoc docentium, ut diſcant, commendicatas undique dictationes perſcribant: parùm tamē penſi habent, quid fiat auditoribus, modò magiſtri in iis, quæ pro lectione dictaturi ſunt, hinc illinc excerpendis operæ faciant pretium, eoque conquirendi, ſæpiùs lectitādi ac tandem deſcribendi labore res ipſas

rectiùs

rectiùs percipiant memoriæque firmiùs infigant. Quò accedit, quod Societatis in omnem partem plurimùm intereſt, diſcipulos in ſolos Ieſuitas magiſtros ſuos intueri, & ab eorum ore pendere; nec quemquam ingenio & doctrina parem eorum credere. Hoc autem facilè conſequuntur, ſi dictatorum ſcriptio ac frequens relectio omne diſcentibus tempus auferat, nec ullas ferè ſubſecivas horas ad cognoſcendos libros ab aliis præſtantibus Philoſophis ac Theologis editos relinquat. Ita nihil eſt periculi, ne vel auditores quicquam ſciant; niſi quod à Magiſtro didicerint, vel legendis libris, quos Magiſtri nunquam viderint, argumenta aliqua inveniant, quibus obiectis Magiſtri obmuteſcere neceſſe habeant, ac velut indoctiores contemnantur. Atque hoc eſt, quod tam ſedulò diſcipulis inſtillant, *diſcentem oportere credere*, totumque ſe doctori ſuo permittere; nec quid alij quantumvis eruditi ſentiant, quibusque opiniones ſuas argumentis ſtabiliant, velle perdiſcere. Fons autem & origo omnis hujus mali eſt, quod illud Chriſti ſibi vindicant, *Veni ignem mittere in terram.* Suam enim Societatem illum Chriſti ignem eſſe vel libris editis gloriantur. *Ignis autem nunquam dicit, ſufficit.* Non ergo jam mirum factu eſt, quod pro nativo Ignis ingenio

omnia depaſci, & in ſe convertere conantur, ac nullis nec opibus, nec honoribus, quos homines iis habent; explentur, ſed latiùs ſemper ſerpere, & in quovis angulo Collegia ſibi maximis Principum aut populorum impenſis excitari ſtatisque ac perpetuis vectigalibus ditari poſtulant. Huic porrò conſequens eſt, ut multos potiùs, quàm bonos & probabiles literarum & diſciplinarum Magiſtros in Societate habeant, quibus tot Collegiorum Cathedras occupare poſſint: qui ſi avidum Spiritum domarent, paucioribusque Collegiis & Cathedris contenti eſſent, de Magiſtrorum turba laborare haudquaquam neceſſe haberent, neque tuendæ eorundem exiſtimationi diſcipulorum valetudinem impenderent, aut προκοπὴν, inque diſcendo progreſſionem tot millium optimorum ingeniorum propter ambitionem ſuam impedirent. Vterentur enim paucioribus Magiſtris, ſed recoctis ac multorum annorum uſu ſubactis, qui & libros omnes ab aliis ſcriptos cognoviſſent, neque ad tuẽdam doctrinæ opinionem ab auditorum ignorantia præſidium petere, adeoque dictationibus eos obruere & incurvare cogerentur.

Aliud privati damni genus à Societate dari ſolitum hoc Mariana commemorat, quod

quod multa excellentia ingenia aditu ad docendi munus prohibentur, & occaſio ſe alendi iis præripitur. Verba ejus ſunt capite texto.

Collegiorum numerus immenſum crevit, adeoque poſſibile non eſt, ut omnibus idonei Magiſtri proſpiciantur. Antiquitus hominum ſæcularium, qui Literaturam profiterentur, quod omnem vitam in uno eodem ſtudio conſumerent, alij in præceptis excellebant, alij in poëtica, alij in doctrinæ varietate. Iam in Societate noſtra vix invenitur, qui quicquam iſtorum bene ſciat. Sæculares verò cùm omnia loca ſibi à noſtris prærepta videant, literas iſtas earumque profeſſionem negligunt. Ex quo fit, ut ſi qua eveniat neceſſitas, non ſit in Hiſpania, aut difficulter certè inveniatur, qui quatuor Latinè verba jungere noverit.

Atque hinc ſimul cauſam, quam multi quærunt, diſcere licet, cur ſcilicet ante exortos Ieſuitas paſſim in Italia excellentes humaniorum literarum Doctores, complures etiam Theologi, Philoſophi, Iuriſconſulti, & Medici præſtantes invenirentur: quod contrà hodie vix quemquam niſi mediocriter in literis verſatum longeque Corradis, Robortellis, Sigoniis, Victoriis, Manutiis, Politianis, Parrhaſiis, Beroaldis, Floridis, Giraldis, Majoragiis, Ferrariis, Bembis, Sadoletis, Guarinis, Barbaris, Statiis, Vrſinis, Co-

lumniis, Alciatis, Bargæis, Amaſæis, Egnatiis, Vallis, Pieriis, Zanchis, Faërnis, Panchagatis, Paleariis, ac Muretis inferiorem poſſis oſtendere. Sed neque Medicos aut Philoſophos Italia nunc habet, qui Cardanos, Petronios, Mercuriales, Cagnatos, Marſilios, Zabarellas, Piccolimineos, Pendaſios, Ferrarios & Nobilios nominis celebritate æquiparent, demtis Ludovico Septalio Ferrarij, & Cæſare Cremonino Zabarellæ auditoribus. De Iuriſconſultis tacere eſt ſatiùs. De Theologis vel hinc judicare poſſis, quod ſupra confitentem audivimus Marianam, in ipſa etiã Societate paucos eſſe bonos Theologos, nullos excellentes Concionatores, nullos Eccleſiaſticarum rerum peritos, idque proptereà contingere, quod in literis Humanitatis malè jaci ſoleant fundamenta, cùm in Societate illi doceant, qui neque didicerunt unquam literas, neque diſcere curæ habent, quod Humaniora doctos jacere & nullo numero haberi videant. Hæc, inquam, Mariana, Ieſuitarum vetuſtiſſimus, & doctiſſimus tanquam manifeſtè vera iterum iterumque affirmat, non aliquis externus, quem Ieſuitæ rerum Societatis minùs peritum dicere, aut fidem ejus tanquam Societati iniquioris elevare poſſint.

Aliud damnum, quod privatim aliis Ieſuitæ

ſuitæ inferre ſolent, hoc eſt, quod multis egentibus præcipuéque aliarum religioſarum familiarum hominibus neceſſaria ad vitam præripiunt, ut ipſis abundè ſuppetant ſupervacua. Audivimus quippe eundem Marianam aphoriſmis 71. 72. 73. 74. 90. 103. 46. 48. 50. 65. 67. 70. 104. & 107. dolenter conquerentem, quòd magna Ieſuitarum pars nimis animoſi ſint in faciendis impenſis, nõ aliter, quàm ſi Comitum eſſent filij, quòd Superiores ſine ulla neceſſitate diruendo, ædificando, quadrata rotundis mutando magnas pecuniarum ſummas dilapident, ac ſæpè conſanguineis largiantur, quòd plurimi eorum ſint homines otioſi nullam ad rem utiles, vereque *aliena ad pabula fuci*, quòd multa paſſim Generali Societatis munera Romam mittantur ad conciliandam ejus gratiam, quòd Novitij exquiſitis epulis ac fructibus paſcantur, quòd omnes ſint nimis lauti & ſumtuoſi in veſtitu aliisquẽ rebus, quòd multi faciant itinera & majore ſpecie atque pompâ, quàm paupertatem profeſſis conveniat, quòd omnes curru vehi, nemo pedibus iter facere velit: quòd in Societate quotannis in lites ac literarum & ſcriptorum vecturas plusquam quinquaginta millia aureorũ impendatur: Hæc rurſus, inquam, Mariana princeps Ieſuita dicit, non aliquis Societati

parum æquus. Eſſe autem iſta omnia ſupervacua, ita ut vel ſine iſtis præclara Dei gloriæ & animarum ſaluti opera navari poſſit, neminem quantumvis Ieſuitis obnoxium negaturum confido: nec enim alia fuit ipſius S. Ignatij Societatis conditoris ſententia, de quo in vita ejus lib. 2. capit. 26. ita Maffeius ſcribit.

Providit quantum ingenio & cogitatione aſſequi valuit, cùm ut cæteris vitiis, tum verò ut Ambitioni & Avaritiæ, quæ duæ pernicioſiſſimæ ſunt mortalium peſtes, omnino obſtrueretur aditus, veræque humilitati & paupertati quàm maximus & maximè diuturnus honos ab omnibus haberetur.

Et lib. 3. cap. 8.

Voluntariam paupertatem (quam ille Religionis murum appellabat) ad extremum uſque conſtantiſſimè coluit.

Et mox cap. 9.

Cùm lege caviſſet, ne quis è noſtris vel exſequiarum, vel ſacrificij, vel cujuſpiam omnino miniſterij nomine pecuniam aut eleemoſynam ullam acciperet, ne dum cogeret: eam ipſe legem diligenter ſanctèque in omni vita ſervavit, neque commiſit unquam ut (quod vitandum eſt maximè) ſpecie pietatis quæſtum facere videretur.

Meritò igitur jam Societati cantet quis,

quod habet Seneca: *Eſt intolerabilis res poſcere nummos, & contemnere. Indixiſti pecuniæ odium: hanc perſonam induiſti, agenda eſt. Iniquiſsimum eſt, te pecuniam ſub gloria egeſtatis acquirere:* multò verò adhuc iniquius te id facere, ut tu quidem fruaris ſupervacuis, alij autem nullo genere te deteriores etiam iis, ſine quibus vivi vix poteſt, deficiantur, & in eos, qui verè ſunt pauperes, divitum claudatur benignitas, quæ tuis commoditatibus nullo tempore non ſit aperta.

Alio præterea damno privatim multi afficiuntur, cùm magnâ ſæpè pecuniæ vi emũguntur, quam Ieſuitæ non jam commoditatibus, ſed deliciis ſuis expenſam ferant, ut verè ſua facere poſſint hæc Senecæ verba: *Non Neceſsitatibus tantùm noſtris proviſum eſt, uſque in delicias amamur.* Hac de re verba Marianæ iterare placet.

Ex cap. v. aphoriſm. 46. *Animi magnæ partis Ieſuitarum ſunt amantes deliciarum, laborum verò ac moleſtiarum intolerantes, adeoque pedibus iter facere & frigus æſtumque tolerare nolunt.*

50. *Non ferè ægrotant neque moriuntur Ieſuitæ, quia nimium laboraverint, ſed quia intemperantiùs cibis ſe repleverint, ac delicatè nimis vixerint.*

Ex Epilogo aphoriſ. 105. *Multæ ſunt Ieſui-*

tarum recreationes,quæ alicubi multos menſes durant.

107. *Deliciæ nonnullorum Ieſuitarum ſunt nimiæ eisque nocent.*

Multis denique privatim magno ſunt malo,quos in Societatem miro mentiendi artificio perducunt , & poſtea graviſſimâ premunt tyrannide,ac vel adulatores & delatores fieri cogunt, vel infeſtiſſimis animis ad mortem uſque perſequuntur. Quod attinet ad artificium illiciendi pueros & adoleſcentes , etſi ex iis quæ ſuprà de Virginio Cæſarino narrata ſunt, judicari poteſt, libet tamẽ hoc adjungere, quo diverſis in locis Ieſuitas uſos eſſe ij ipſi,quos diu captaverant, confirmarunt. Non ergo ſatis habent cæteras Religioſas familias præ ſe contemnere cùm ob alias cauſas, tum præcipuè quòd minimè diligenter ad præſcriptum vivant, nec Regulam ſuam obſervent, quòd contra in Societate fiat, ubi ad præſcriptum exactiſſimè vivatur:ſed hoc amplius D.Ignatium hoc precibus ſuis à Deo impetraſſe jactitant , ut ex quo die Societatis Regula fuit auctoritate Pontificis conſtituta, inde per ipſos centum annos,nemo Ieſuitarum letale nefas contrahere,aut mortaliter peccare,ſive (ut alij minùs projectæ ad mentiendum impudentiæ dicunt)nemo eorum in mortali peccato ex-

ſpirare

ſpirare poſſit. De Tyrannide, quâ poſtea urgentur, quos ſic ineſcarunt, & in naſſam ſuá adegerunt, minimè æquum puto aliis nos credere, quàm eidem Marianæ Ieſuitarum antiquiſſimo, qui de re velut pervulgata ac nulli de Societate ignota paſſim toto libro ſuo conqueritur, velut in Aphoriſmis ejus, quos de παμβασιλεία & abſoluto Patris Generalis nullisque legum vinculis adſtricto imperio ſuprà recenſuimus videre eſt. Quis ergo jam non intelligat, Senatum Venetum multis modis ſubjectorum utilitatibus conſulere, dum edicto eos à Ieſuitis procul habere ſtudet, ne non modò tempus nullo cũ fructu in eorum ſcholis perdant, ſed etiam ne ab iis illecti miſerabiliter in ea hominũ Societate ætatem conterant, in qua tantæ auctoritatis Ieſuita minùs juſtitiæ inveniri teſtatur, quàm in ullo latronum aut ſicariorum ſodalitio? Ejus quidem octogeſimus quartus Aphoriſmus, quem toto capite duodecimo uberiùs pertractat.

Nulla eſt latronum Societas, in qua Iuſtitia non plus loci habeat, quàm in Societate noſtra, cùm in ea non obſervetur lex naturæ, quæ præmia & honores pro cujusque meritò diſtribui jubet. Pauci enim homines juvenes, nullâ nec eruditione, nec aliâ laudabili qualitate præditi honoribus in ea afficiuntur, & in officiis per viginti aut triginta annos

continuantur, quoniam aſſentari ſeque ingerere noverunt, longè autem plurimi prudentiâ, literis ac virtute præſtantes in perpetuum ab officiis excluduntur.

Cui conſentaneus eſt hic alter, qui eſt octogeſimus ſeptimus, ex capite quartodecimo, pariterque 89. & 91.

Nulla eſt Societas, in qua tam nulla ſint virtuti & eruditioni præmia, atque in noſtra: ubi non modò ſcientia & Ignorantia in æquo ſunt, ſed etiam ſcientia impedimento eſt, quo minùs quis conſequatur præmia humano ac divino jure debita.

Certum eſt nullam in Societate noſtra valde gravibus delictis infligi pœnam ſolere, modò qui deliquit, iram atque animos à crimine ſumat, ſeque audacem ac defenſioni paratum oſtendat. Diſſimulantur ergo ſcelera: ſub hoc prætextu, quod ea non ſatis probari poſſint, & quòd non oporteat rumores ſuſcitare, ut extraneis innoteſcat, quid in Societate geſtum ſit. Totum regimen noſtrum videtur hunc habere ſcopum; ut malè facta injectâ terrâ occultentur, & hominum notitiæ ſubtrahantur.

Eſt dictu miſerabile, quod Boni & Deo ſervientes in Societate noſtra aut ſine ulla cauſa, aut propter leviſſimas cauſas, injuſtè affliguntur & vexantur, atque etiam morti deduntur, quoniam videntur muſſitaturi injurias, neque ſe oppoſituri: improbi autem tolerantur, quoniam ſuperioribus

ſunt

ſunt timori. Punto que ſolo baſta para que Dios bunda la compagnia (ſic enim eſt in Hiſpanico, quod Hetruſcus interpres mendoſum exemplar nactus perperam convertit) *quæ ſola res ſufficit, ut Deus innocentium vindex funditùs Societatem evertat.*

Et Aphoriſmus XCIV. ex cap. XVII. *Regimen Societatis noſtræ eſt contra naturam, cùm boni, docti, ſenes & nobiles ſubjecti ſint, minùs boni, idiotæ, juvenes, ignobiles, nullisque dotibus conſpicui præſint omniaque ex libidine ſua moderentur.*

Et XCV. ex Epilogo : *Nemo quantumlibet cæcus ſit negare poteſt, Societatem noſtram à recta ratione aberrare, ac propterea propediem funditùs interituram eſſe, niſi Deus opem ferat, hoc eſt, mentem noſtris inſpiret, ut rectè monentibus parere, ipſique ſe* REFORMARE *velint.*

Quàm porrò verum ſit, quod ubique gentium plenis buccis jactant Ieſuitæ, cùm adoleſcentes captant, iisque ut ſuo gregi potiùs, quàm aliis religioſis ſodalitatibus accedere velint, auctores ſunt, in Societate ſcilicet ſua Regulam ſive Inſtitutum exactiùs obſervari: ea de re nemo errabit, qui eidem Patri Marianæ plus fidei adjungendum putaverit. Ejus XXVI. Aphoriſmus eſt ex capite tertio.

B. Ignatius & priores Societatis noſtræ Præpoſiti Generales non eodem, quo Claudius Aquaviva, ſtiluſi, nec eandem gubernandi rationem ſecuti

ſunt, ut mirum non ſit hodierno tractandi modo tantoperè ſociorum animos eſſe exaſperatos.

Et Aphoriſmus XXVIII. ex capite quarto: *In Societate noſtra ab aliquot annis multæ fuerunt rebelliones aut ſeditiones ex quibus magni & diuturni diſguſtus*, ſive animorum exacerbationes *promanarunt.*

Et Aphoriſmus XLV. ex capite quinto: *Noſtri contra mentem B. Ignatij & contra ordinis ſtatuta domos probationis introduxerunt: & tamen ſubinde clamitant nihil in Societatis inſtituto mutari oportere.*

Et Aphoriſmus LXIV. ex capite ſeptimo: *Noſtri contra Societatis conſtitutiones eundem tribuunt veſtitum Sociis Laicis ſive Coadjutoribus temporalibus, quem Sacerdotibus, quæ ipſa æqualitas in multis aliis rebus obſervatur.*

Et Aphoriſmus LXXV. ex capite nono: *In Societate noſtra multi & graves lapſus contigerunt, qui noti ſunt, quamvis ſedulò tegantur.*

Et Aphoriſmus LXXX. ex capite undecimo: *Superiores Societatis noſtræ ſunt homines minimè digni, qui officiis præſint, cùm Generalis metuat ac ſublatos velit, quorum eminentes ſunt virtutes. Boni, quàm mali, ei ſuſpectiores ſunt.*

Et LXXXI. *Multa facinora mala & turpia in Societate committuntur, quæ manent impunita & involvuntur ſilentio.*

Et Aphoriſmus CII. ex Epilogo. *Major pars Ieſui-*

Ieſuitarum, qui profeſſi ſunt, non ſervant pauper-tatis votum, cùm vivant in Collegiis, eorumque reditus conſumant.

Et CVI. *Multi Ieſuitæ multos annos manent proprietarij, multique ſunt inter eos otioſi nullam ad rem utiles.*

Et iſta quidem ex Marianæ libro eo conſilio in medium afferre nobis viſum eſt, ut omnes Venetæ Reipub. parentes, præcipueque ſtudioſi literarum ac bonorum morum juvenes graviſſimas Senatui cauſas fuiſſe videant, cur eos ad Ieſuitarum ſcholas accedere, iiſque Magiſtris uti velle Senatuſconſulto vetuerit. Nunc paucas ex multis reddere cauſas placet, cur idem Senatus Regibus ac Principibus Catholicis, præcipueque ſummo Pontifici excuſatiſſimus eſſe debeat, quòd Ieſuitis reditum in Vrbem omninoque in ditionis ac juris ſui civitates & oppida permittere recuſat, quādiu quidem eſſe pergent, qui nunc ſunt, nec ad dies adoleſcentiæ ſuæ reverti, & iidem denuò eſſe incipiant, qui ante mutatam imperij eorum formam, hoc eſt, ante deſpoticum ſive herile imperium vel potiùs Tyrannidem ab Aquaviva introductam fuerāt. Quod quidem ſi faciant, dubium nō habeo, quin quâ caritate & indulgentiâ urbs Veneta D. Ignatiū & Societatem ejus cùm maximè naſcentem

excepit, nullo genere minorem eidem renatæ & ex diuturna ſervitute emergenti ac reſpiranti ſit præſtiturã: quod quidem unicè mihi in votis eſſe Deum cordis mei arbitrum teſtor. Nec enim ea mente hic à me ſuſceptus eſt labor, ut reditum Ieſuitis ad Venetos intercludam, ſed quòd impensè cupiam ita eos redire, ut & tanti ſit eos rediſſe, nec periculi quicquam, ne denuò admiſſi mox iterum majore dedecore pellantur. Tanti autem erit, ſi D. Ignatij voto reſponderint, nec duabus illis pernicioſiſſimis mortalium peſtibus, Ambitioni & Avaritiæ aditum ad ſe dederint. Aliter enim peccato quidem plurimùm, magis tamen aliquanto nocebunt exemplo. Vt enim S. Gregorius Magnus monet, *Nemo in Eccleſia nocet ampliùs, quàm qui perversè agens nomen vel ordinem ſanctitatis habet. Delinquentem namque hunc nemo redarguere præſumit; & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur.* Si ergo ipſi etiam Ieſuitæ ambitione & avaritiâ teneantur, cui, ut peſtes iſtas fugiat oratione perſuadebũt? Et quid refert tandem operâ eorum paucos quoſdam literis imbui, ſi univerſos omnes imitatione ſui depravent, & opes atque honores ambire doceant?

Iterum verò mox eos pulſum iri ſatis explora-

ploratum habeo niſi ea miſſa faciant, quæ nunc Venetos offendunt, quorumque illi cauſâ eos recipere verentur. Primùm enim non eſt, quod eis ullius rei fidem, ſi ſapiant, habere ſe poſſe exiſtiment, quos inter fidei nihil eſſe, ſed alios ab aliis ſibi præcipuè cavere, ipſe Mariana teſtatur, cujus ex cap. 3. aphoriſmus eſt XXIV.

Totum Societatis regimen fundatum eſt in Syndicationibus ſeu Delaturis, quæ ſunt tanquam fel toto corpore diffuſum, ita ut nemo fratri ſuo germano fidem habere poſſit, ſed metuere neceſſe habeat, ne is Delatorem agat, & alienâ impenſa ſui Superioris, præcipueque Generalis gratiam lucrari velit.

Et LXXXV. ex capite XIII. *Delatores teterrimum genus hominum, quos ipſi quoque gentiles Imperatores morte afficiendos putabant, quibus priſca Concilia ne in mortis quidem articulo communionem corporis Chriſti permittebant in Societate velut neceſſarij tolerantur: ex quo fit, ut perierit inter nos animorum conſenſus & caritas fraterna, dum nemo alteri fidit, ſed ab omnibus metuit.*

Et LXXXVI. *Generalis noſter ex nimio abſoluti imperij amore, Delaturas in ſcrinia ſua admittit, iisque credit non audito eo, qui accuſatur quod injuſtitiæ genus ab ipſis etiam Ethnicis improbabatur.*

Niſi ergò hoc genus hominum ipſis Ethnicis tam exſecrabile inter Ieſuitas eſſe deſinat (quod quidem niſi abolitâ Tyrannicâ illâ imperij formâ nunquam ſperare fas eſt) rectè ſtatuunt Veneti, nullum ſibi cum eis commerciũ eſſe debere. Qui enim Patriarchæ ſeu Generalis gratiam aucupabundus nec germano fratri fidem ſervet, ſed eum perfidioſè circumvenire & in capitis diſcrimen adducere non dubitet, quis eum Reipub. Venetæ, omninoque iis, cum quibus negotij quid contrahit, fideliorem futurum ſibi perſuadeat; niſi quidem ſtulto quovis ſit ſtultior?

Deinde nec Monopolium rerum omniũ divinarum & humanarum tolerare Veneti poſſunt, literarum ſcilicet, pietatis, virtutis & gratiæ apud Deum & homines, quod Ieſuitas ubique gentium inſtituere apparet, ut nemo ſcilicet neque doctus neque probus aut pius, neque Deo vel Principibus gratus acceptusque eſſe poſſit, niſi ipſorum operâ. Hoc enim ſine perſpicua injuſtitia & aliorum, præcipueque religioſorum hominum injuria fieri non poſſe neminem non intelligere Veneti arbitrãtũr. *O te nullius conſilij hominem, qui Franciſcano peccata tua confeſſus fueris! An neſcis, in ſuſpicionem magni alicujus ſceleris venire, qui id genus Confeſſariis utatur? quid ni con-*

ni confeſſurus peccata ad me , aut ad quemvis de Societate noſtra veniebas ? in quâ Sacerdotes verè pios & doctos inveniri non neſcis ? aiebat Græcienſis ille Phariſæus Balthaſar Nimitſcius ad Grynbergerum Archiducis Secretarium: cujus ſimiles ſermones paſſim ex aliorum Ieſuitarum ore audiuntur. Quin uſque eò illi Monachos contemnere præ ſe ſolent,ut vel libris editis *Cantum in choro hominum otioſorum opus eſſe* judicent. Gregorij certè de Valentia verba ſunt extremo Tomo tertio Cóment.in Summam Theolog. *Si quando in aliquo Ordine Spiritualibus miniſteriis deputa'o Chorus introductus eſt, cauſa fortè fuit, ut qui non eſſent apti ad alia miniſteria Spiritualia , in eo Dei cultu occuparentur.* Hæreditates ſcilicet optimas & luculenta captare patrimonia , & ordini ſuo totius orbis dominationem conficere,& navi hominis eſt, & longè Deo gratius,quàm preces, hymnos & laudes Deo & Sanctis ejus clarâ voce cum cæteris in Eccleſia decantare , quod otioſis ſcilicet nullamque ad rem utilibus ipſi meritò relinquunt , ut cantando vel dirumpant. Facilè quidem Veneti paterentur , Ieſuitas ſummâ ope niti, ut longè cæteris cùm doctrina,tum vitæ commendatione præſtent,modò ut ne cæteris impedimento ſint,quo minùs & ipſi quam poſſunt operam Dei gloriæ & homi-

num ſaluti navent. *Certet quiſque apud nos de virtute abſque invidia*, (ait Plato in quinto de legibus,) *qui enim ſic agit, civitatem ſuam amplificat, cùm ipſe quidem contendat, alios autem calumniis non detineat. Invidus autem & obtrectator, dum ſe cæteris derogando præſtare iis putat, & ipſe minùs rectè ad veram tendit virtutem, & concertatores iniquè obtrectando & vituperando tardiores efficit.*

Præterea duplicitatem iſtam in hominibus religioſis Veneti tolerare neſciunt, quæ quidem tanta eſt, ut nemo ſit, quin de Ieſuitis agi putet, cùm hos Lucilij verſus recitare audit:

Vni ſe atque eidē ſtudio omnes dedere & arti,
Verba dare ut cautè poſſint, pugnare dolosè,
Blanditia certare, virum ſimulare bonum ſe,
Inſidias facere, ut ſi hoſtes ſint omnibus omnes.
Pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta:

Ita ut ſub perſona perpetuò vivere, nec cuiquam ſe ſimpliciter oſtendere videantur: cæterùm ita bonis ſunt dentibus, ut velut Lena illa Comica arrideant omnibus. Hoc autem cùm vix in ullo ſæculari homine non indecens videatur, tum verò ei eſt turpiſſimum, qui ſe pietatis, ſimplicitatis veræque virtutis doctorem aliis profitetur, cùm præſertim exempli ejus præſentiſſimæ ſint vires ad depravandos alios, & ad perimendam

omnem

omnem ſimplicitatem & candorem : ſine quibus meritò quem inter homines vivere diſtædeat. Quod ipſum non minùs de ſolennibus Ieſuitarum amphiboliis, ſive *Aequivocationibus* dictum volo, quibus fit ut nemo certum habere poſſit, quid ex altero audierit, cùm ſemper ei verendum ſit, ne alter aliovorſum ea, quæ audivit, alioque ſenſu dixerit. Quæ quidem res ſine inſidiarum metu perpetuaque diffidentia ac ſuſpicionis tormento procedere non poteſt, adeoque neminem tranquillo animo exigere ætatem patitur, ut nihil vitæ humanæ fieri poſſit infeſtius.

Hoc amplius vix tuto eis credi putant Veneti, quos ſuarum opinionum tam amantes, inque pervincendo, quod ſemel amplexi ſunt, uſque eo tenaces vident, ut ſtatim hoſtile eis odium indicant, quos non nutui ſuo paratos eſſe, nec ſibi obſequi, ſed vel leviter in eo, quod conſequi audent, adverſari intelligunt, de quo ne cui ſit dubium, audiatur Marianæ ex capite quarto Aphoriſmus XXXV.

Ieſuitæ qui Romæ ſunt circa Generalem, quamvis ſint terræ filij & ſcarabæi ex ſtercore nati, quia tamen Generali ſtudium ſuum in tuenda ejus auctoritate venditant, omnibus ſe opponere non dubitant, & ſi quis eorum graves magnique momen-

errores improbet, Leonum inſtar infeſtis in eum animis invadunt.

Quid autem hoc miri ſit, cùm nec ipſi parcant Pontifici, quàm primùm is voluntati eorum minùs morem gerit? Itaque cùm hodiernus Pontifex imagines Ieſuitarum Romæ in Eccleſia eorum parietibus affixas, ita ut ſuprà memoravi, edicto ſuſtuliſſet, apud adventores ſuos interioris notæ amicos palàm minabantur, citò ſe precibus ſuis eum confecturos. Mediolani etiam *Leonardus Vellius*, Romanus Ieſuita, Rhetorices Magiſter, non ita pridem in complurium adoleſcentum circulo ea de Pontificis genere, cognatione, inſignibus & honorum incremento ſumma cum rabie & exulcerati animi ſignificatione elatrare auſus eſt, ut intemperantius nihil ne ab infeſtiſſimo quidem Hæretico fieri poſſe videretur. An ergo eos ſecum modeſtiùs & reverentiùs Veneti acturos putent, ſi quid, ut vix videtur caveri poſſe, aliquando à ſe fiat, quod hominibus ad proprium Societatis emolumentum, aut ad ſtabiliendam Patriarchæ ipſorum monarchiam omnia referentibus, non uſque eò jucundum accidat?

Non minimum verò hoc etiam Venetos terret, quod Ieſuitas in alienis rebus æquo curioſiores eſſe, facileque legibus & juſſis

alienis

alienis obloqui, atque adeò ſi poſſint, factis intercedere ſolere, multis documentis compertum habent: quorum unum valde illuſtre hoc loco commemorare placet. Salvagus Sarzanenſis Epiſcopus cùm Grætij in Regia Ferdinandi Archiducis, nunc Auguſti Imperatoris, Apoſtolicam obiret Legationem, Pauli V. juſſu perluſtrationem & Viſitationem Eccleſiarum Stiriæ, Carinthiæ, & Carniolæ inſtituerat: quâ peractâ ſex omnino Sacerdotes, qui non eſſent concubinarij, in tribus illis provinciis invenit, cùm tamen magna pars ex Ieſuitarum diſciplina prodiiſſet. Sed quoniam Ieſuitis ſubinde munera mittebant, eorum gratiâ & favore muniebantur. Summis ergo viribus Viſitationem illam Ieſuitæ impedire conati ſunt. Cùm autem aliam viam non invenirent, ipſe Pater Villerius Archiducis Confeſſarius provinciarum illarum Barones, Archiducis familiares, ut Viſitationi adverſarentur, ſtimulare non deſtitit, cauſam an prætextum nterſerens, magnam eſſe imprudentiam, ermittere ut hominibus externis, præcipueque Italis provinciarum illarum ſtatus otefceret. Sed illos minimè fefellit, quid ſſet, quod Ieſuitas pungeret, & Villerio ſe xcuſarunt, quod impium & nefas eſſe dicerint, Pontificem impediri, quo minùs in

Principis tam Catholici provinciis jurisdi-ctionem ſuam exerceret: aliter quippe vix quicquam inter Archiducem & Venetos fore diſcriminis. Hoc Epiſcopum illum multi narrantem audiere, cui quoniam de purpura nihil jam ſpei eſt reliquum, adeoque nec cauſæ quicquam, cur Cæſaris aut Cæſarianorum offenſam excipere formidet, idem ipſum quoties rogetur ingenuè confeſſurum confido. Iam qui Ieſuitas conſideret ſacramento Pontifici auctoratos eſſe, nec tamen ejus jus & majeſtatem ſuæ utilitatis causâ minuere dubitare, multò minùs ullâ religione retentum iri facilè intelligat, quin Senatusconſultis minùs ex voto ipſorum aut uſu factis ſeſe opponant, aliosque contumaciam porrò cùm verbis, tum factis doceant.

Poſtremò aures Venetorum illo prophetico aſſiduè perſonant Iſai. 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Ieſuitæ ſuá Societatem ab Ignico ortam (quomodo ex vero nomine, non autem Ignatius, Loyola vocabatur) *Igneam* eſſe, & *Ignis* ingenium vel naturam habere gloriantur. *Ignis autem nunquam dicit, ſufficit.* Ita nec ipſi ullis vel opibus vel honoribus expleri poſſunt. Semper cupiditate plura poſſidendi ómniaque devorandi

vorandi accenſi ſunt: ſemper libidine ſummam rerum moderandi omnibusque imperandi ardent: quod etſi tam eſt in orbe univerſo notum, ut id exemplis vincere, ſit ſoli lucem accenſo cereo fœnerari: duobus tamen documentis ex vicinia petitis, quoniam maximè illuſtria ſunt & in medio poſita, hoc loco teſtatum id facere libet.

Papa Gregorius XIII. (velut idem ille, quẽ ſuprà dixi Tergeſtinus Antiſtes narrabat) mille ducentos ſcutatos annuos Ieſuitis dependebat, ut ea ſumma Grætij in ſeminario clericorum octodecim alumni Sacerdotio initiandi alerentur, quod in ſingulorum victum annuum LXVI. ſcutati ſatis eſſent. Demonſtrarunt ei Ieſuitæ, ſi Girienſe Carthuſianorum monaſterium ipſis concedatur, & ipſum ſummæ illius facturum compendium, & ſibi facilè futurum vel nonaginta alumnos educare, quod Monaſterij reditus ſex millia ſcutatorum annua conficerent. Pontifex aviditati eorum Monaſterium illud addixit. Ipſi verò fructibus illis nõ niſi quinque alumnos tolerant. Quid jam cenſes, Lector? an non hoc videtur ad quæſtum ſuum ſatis eſſe callidum? Primùm omnium D. Brunonis hæreditatem iſti alieni cernunt, & Carthuſiam familiam patrimonio ſuo evertunt. Deinde Spiritui ſancto mentiũtur,

dum Petrum in ſucceſſore ejus circumve-niunt, & de fructibus Monaſterij fidei eorũ creditis defraudant, 5670. ſcutatos in rem ſuam convertendo. Tum octoginta quinq; egentibus ad victũ neceſſaria ſacrilegè præripiunt. Tandem vineam Dei operariis privant, nec ipſi tamen interea mercedem eorum recipere dubitant: hoc amplius autem de quinque illis alumnis optimum quemq; in Societatem ſuam cooptant: ut omnino à Gregorio ovem lupo commiſſam fuiſſe appareat; & Ieſuitis provinciæ illæ debeant, quod octoginta quinque Sacerdotum operâ tam ipſis neceſſariâ privatæ ſint. Et tamen minimè Ieſuitis deeſt unde non ipſi modò vivere, ſed etiam cùm velint, nepotari & in *domo* ſuâ *Quietis* animi causâ venatum ire poſſint: nam Mylſtadienſe Monaſterium reddit eis quotannis triginta florenorum millia, Eberdorfienſe ſex, decem millibus amplius Girienſe. Hæc ſcilicet eſt *læta* illa *paupertas*, Epicuri præconio tantoperè celebrata, quam Logici Doctores inter Entia rationis meritò numeraverint.

Neque verò non multò illuſtrius ambitionis ſuæ cæteriſque dominandi libidinis documentum in Bohemia nuper dedêre: quo, ſi nihil eſſet aliud, meritò Veneti perterreri poterant, ne locum iis in Repub. ſua conce-

concederent, quos imperandi adeò vident avidos, ut neque Pontifici & Cardinalibus jus ſuum eripere, eoque pacto Sanctionem ſive *Bullam*, quæ Cœnæ *Domini* perhibetur, ludibrio habere dubitent. Pragenſis ſcilicet Academia à Carolo IV. Imp. conſtituta, ducentis amplius annis in Hæreticorum Huſſitarum poteſtate fuerat. Bohemiâ igitur Deo propitio nuper feliciſſimè ſubdomitâ, in eapſe occaſiunculâ & optatiſſimo rei ex ſententia gerendæ articulo Ieſuitæ obrepſerunt, utque omne Academiæ illius jus & poteſtas Archiepiſcopo Pragenſi, ejus Cancellario adimeretur, & in Collegij Ieſuitici Rectorem Cæſaris auctoritate transferretur, enixè ſummâ ope contenderunt. Quamvis autem Cardinalis Harrachius Archiepiſcopus pro Sacramento, quo ſe Pragenſi Eccleſiæ ad tutanda omnia ejus jura obſtrinxit, diſtinctè eis demonſtraſſet, neque ſe hoc illis poſſe concedere, neque illos, niſi piaculares fieri, & cenſurâ Bullæ dictæ ſive excommunicatione illigari penſi non habeant, eam rem à Cæſare poſſe contendere: illi tamen qui imperium in regni univerſi Scholas, magiſtros, diſcipulos, bibliopolas & typographos jam ſpe devorarant, extrema fecerunt omnia, ut gratiâ, quâ ualere ſe apud religioſiſſimum Imperatorem intelligunt, pervin-

dum Petrum in ſucceſſore ejus circumveniunt, & de fructibus Monaſterij fidei eorũ creditis defraudant, 5670. ſcutatos in rem ſuam convertendo. Tum octoginta quinq; egentibus ad victũ neceſſaria ſacrilegè præripiunt. Tandem vineam Dei operariis privant, nec ipſi tamen interea mercedem eorum recipere dubitant: hoc ampliùs autem de quinque illis alumnis optimum quemq; in Societatem ſuam cooptant: ut omnino à Gregorio ovem lupo commiſſam fuiſſe appareat; & Ieſuitis provinciæ illæ debeant, quod octoginta quinque Sacerdotum operâ tam ipſis neceſſariâ privatæ ſint. Et tamen minimè Ieſuitis deeſt unde non ipſi modò vivere, ſed etiam cùm velint, nepotari & in *domo* ſuâ *Quietis* animi causâ venatum ire poſſint: nam Mylſtadienſe Monaſterium reddit eis quotannis triginta florenorum, millia, Eberdorfienſe ſex, decem millibus amplius Girienſe. Hæc ſcilicet eſt *læta* illa *paupertas*, Epicuri præconio tantoperè celebrata, quam Logici Doctores inter Entia rationis meritò numeraverint.

Neque verò non multò illuſtrius ambitionis ſuæ cæteriſque dominandi libidinis documentum in Bohemia nuper dedêre: quo, ſi nihil eſſet aliud, meritò Veneti perterreri poterant, ne locum iis in Repub. ſua

conce-

concederent, quos imperandi adeò vident avidos, ut neque Pontifici & Cardinalibus jus ſuum eripere, eoque pacto Sanctionem ſive *Bullam*, quæ Cœnæ *Domini* perhibetur, ludibrio habere dubitent. Pragenſis ſcilicet Academia à Carolo IV. Imp. conſtituta, ducentis amplius annis in Hæreticorum Huſſitarum poteſtate fuerat. Bohemiâ igitur Deo propitio nuper feliciſſimè ſubdomitâ, in eapſe occaſiunculâ & optatiſſimo rei ex ſententia gerendæ articulo Ieſuitæ obrepſerunt, utque omne Academiæ illius jus & poteſtas Archiepiſcopo Pragenſi, ejus Cancellario adimeretur, & in Collegij Ieſuitici Rectorem Cæſaris auctoritate transferretur, enixè ſummâ ope contenderunt. Quamvis autem Cardinalis Harrachius Archiepiſcopus pro Sacramento, quo ſe Pragenſi Eccleſiæ ad tutanda omnia ejus jura obſtrinxit, diſtinctè eis demonſtraſſet, neque ſe hoc illis poſſe concedere, neque illos, niſi piaculares fieri, & cenſurâ Bullæ dictæ ſive excommunicatione illigari penſi non habeant, eam rem à Cæſare poſſe contendere: illi tamen qui imperium in regni univerſi Scholas, magiſtros, diſcipulos, bibliopolas & typographos jam ſpe devorarant, extrema fecerunt omnia, ut gratiâ, quâ ualere ſe apud religioſiſſimum Imperatorem intelligunt, pervin-

cerent, ſuoque Cardinalem Archiepiſcopum jure ſpoliarent. Qua de re Lectorem ex ipſius Cardinalis libello, quem ſubjiciemus, cognoſcere malumus. Agmen coget *Marianæ de ſtudiis Ieſuitarum diſputatio*, quam cùm Venetæ ditionis homines legerint, cauſam nanciſcentur, cur non modò æquis ferant animis, ſibi Senatus edicto Ieſuitarum ſcholis eſſe interdictum, ſed ultrò etiam non minimum eo quoque nomine Senatus providentiæ debere ſe ſtatuant. Ipſi quidem Ieſuitæ non ita confeſtim poſthac in Hæreſeos ſuſpicioně vocare volent, ſi quis eruditorŭ aliquid ſe in eorŭ docědi ratione deſiderare, nec aureo fune de cœlo demiſſam credere præ ſe tulerit: nā id ipſum multis adductis rationibus Mariana fecit, qui & Princeps Ieſuita fuit, & jam inde à Divi Ignatij tempore ad noſtram uſque ætatem Philoſophiam & Theologiam quâ vivâ voce, quâ ſtylo in Societate docuit, ut qui ei ſubſcribat, meritò à credulitatis, multò autem magis ab omni arrogantiæ & temeritatis reprehenſione abeſſe debeat. Hæc te monitum, Lector, volebam. Vale. Patavio Kalendis Decembr. anni à Chriſto nato M. DC. XXXIV.

V. ILLV-

V.

ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI PRINCIPIS, DOMINI Cardinalis & Archiepiſcopi Pragenſis, Legati nati, &c.

Judicium & Cenſura Bullæ à Patribus Societatis Cæſari oblatæ, Cæſareâ ac Regali auctoritate firmandæ, pro erectione Carolo-Ferdinandææ Academiæ.

PROPONITUR Cæſareę ac Regiæ Majeſtati à Patribus Societatis Tranſlatio Privilegiorum Carolinæ Vniverſitatis in Aca- *Argumentum Bullæ Cæſareæ à Ieſuitis conceptæ.*

demiam Ferdinandæam, cujus ſumma poteſtas ſit penes Societatem; abolitis privilegiis in contrarium facientibus, aliis auctoritate Cæſareâ ac Regiâ additis in eum finem, ut hactenus collapſa fides Catholica, nec non & adminiſtratio politica ſublevetur ac reſtituatur, Rationes adducuntur nimirum.

Finis Ieſuitarum.

Prætextus eorum.

Hactenus propter Religionis diſſidium toleratam in unica Civitate duálitatem Academiarum: nunc devolutâ ab Hæreticis in Catholicos omnimodâ Iuriſdictione, nullam ſubeſſe cauſam cur maneat. Ergo vel oportet ut ambę coaleſcant in unam, vel altera è duabus abolenda. Vtra autem duarum tollatur, dedecet. Si Carolina extinguitur, id prohibet ejus antiquitas, Caroliqne Cæſaris meritum, ac memoria: Sin verò Ferdinandæa, cur ſtabit Carolina, hactenus rebellionis ac hæreſium mater, ſublatâ Ferdinandęâ, fidei in Deum ac Principem magiſtrâ? Ergo neceſſum eſt ambę coaleſcant in unam, ita tamen ut Carolina, Deo & Principi rebellis, cedat in Ius Ferdinádęę, quę cùm hactenus non alium habuerit Rectorem, prętet eum, qui è Societate

cietate eſt de more Rector Collegij Pragenſis, deinceps is id juris retineat, vel ex eo, quod incomparabilis ſit Societatis virtus in propaganda doctrina, fide, ac pietate, adeò ut vel Protectorem aut Patronum tanquam impedimenta repudiet.

Placet Domino Archiepiſcopo finis, qui eſt reſtitutio religionis Catholicæ in hoc regno, provinciiſque incorporatis, id enim ſpectare eſt Archiepiſcopale onus & munus, licèt hæc conſilia inſcio Archiepiſcopo inita ſint cum Principe Politico, qui tamen pro ſua prudentia & religione eo inconſulto nihil decretum eſſe voluit. *Iudicium Archiepiſcopi de fine eorũ.*

Diſplicet medium: quia attentata erectio Carolo-Ferdinandææ Academiæ habet annexam excommunicationem latæ ſententiæ Papæ reſervatam: Nam omne quod derogat juriſdictioni Eccleſiaſticæ inhibet Chriſtianis quibuſcumque ſub pœna prædictæ Excommunicationis, quod cùm ex multis Canonibus, tum maximè probatur ex Bulla in Cœna Domini, quam nuperrimè elapsâ feriâ Quintâ majoris hebdomadæ non dubitatur fulminatam juxta conſuetam formam *Item de Mediis.* *Ieſuitæ incurrũt in excommunicationem Pontificiam.*

quoad immunitatem Eccleſiaſticam: Cujus inter multa hæc ſunt formalia verba.

Verba Bullæ in Cœna Domini.

Excommunicamus omnes &c. Nec non qui ſtatuta, ordinationes, Conſtitutiones pragmaticas, ſeu quævis alia decreta in genere vel in ſpecie ex quavis cauſa, & quovis quæſito colore, ac etiam prætextu literarum Apoſtolicarum uſu non receptarum ſeu revocatarum & cujusvis conſuetudinis aut privilegij, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinarint, & publicarint, vel factis & ordinatis uſi fuerint, vnde Libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur vel deprimitur, vel aliàs quovis modo reſtringitur, ſeu noſtris & dictæ Sedis aut quarumcumque Eccleſiarum iuribus quomodolibet directè vel indirectè, tacitè vel expreſſè præiudicatur &c.

Cæterùm à prædictis ſententiis nullus per alium quàm per Romanum Pontificem niſi in mortis articulo conſtitutus, neque etiam tunc, niſi ſtando Eccleſiæ man-

mandatis & ſatisfaciendo cautione preſtitâ abſolvi poſſit &c.

Declarantes ac proteſtantes quamcumque abſolutionem &c. Qui etiam per huiusmodi abſolutionem, aut quoscumque alios actus contrarios, tacitos vel expreſſos, ac etiam per patientiam & tolerantiam noſtram, vel Succeſſorum noſtrorum quantocunque tempore continuatam in præmiſsis omnibus & ſingulis ac quibuscumque iuribus Sedis Apoſtolicæ ac Sacræ Romanæ Eccleſiæ undecunque, & quomodocunque quæſitis vel quærendis nullatenus præiudicari poſſe ſeu debere, non obſtantibus privilegiis, Indulgentiis, & literis Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus ſuprà dictis, vel eorum alicui ſeu aliquibus & aliis cuiuscunque ordinis, ſtatus, vel conditionis, dignitatis & præeminentiæ fuerint, etiamſi, ut præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, ſeu quâvis aliâ etiam mundanâ præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, ſeu

locis à prædicta Sede ex quavis cauſa: etiam per viam contractus; aut remunerationis & ſub quavis alia forma & tenore, ac cum quibusvis clauſulis etiam derogatoriarum derogatoriis; conceſſis etiam continentibus quod excommunicari, anathematizari vel interdici non poſſint per literas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de Indulto huiuſmodi; ac de ordinibus, locis; nominibus propriis cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem, nec non conſuetudinibus etiam immemorabilibus, ac præſcriptionibus quantumque longiſſimis & aliis quibuslibet obſervantiis ſcriptis & non ſcriptis; per quæ contra hos noſtros proceſſus ac ſententias; quo minùs includantur in eis ſe iuvare valeant, vel tueri. Quæ omnia quoad hoc eorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo inſererentur præſentibus pro expreſſis habentes penitus tollimus, & omnino revocamus, cæteris-

teriſque contrariis quibuſcunque &c. Hæc ex Bulla Cœnæ Domini.

Hæc ipſa privilegia, quæ cuiquam ſuffragari poſſent, quo minùs incurratur præfata excommunicatio, alio titulo ſunt revocata à Pio IV. in bulla edita Anno 1565. tertiodecimo Calend. Martij: Nimirum *ut decreto Concilij Tridentini* (quibus adverſatur imminutio eccleſiaſticæ libertatis:) *in effectum deducantur, non obſtantibus juribus ac privilegiis Patriarcharum, Archiepiſcoporum &c. ac etiam Laicis cujuscunque dignitatis & ſtatus ac gradus, & Excellentiæ; ac etiam Ducali, Regia, Imperialique dignitate fulgentibus* &c. Vide Bullam præfatam.

Verùm ut hæc Bulla Conciliiſque decreta legis vim obtineant, tanquam à jure ſancita ac proinde non obligare cenſeantur, niſi ubi Concilium ſit uſu acceptatum, tamẽ Bulla in Cœna Domini non legis tenorem, ſed præcepti vim habet, utpote ab homine lata, quapropter ejus vim nõ niſi non baptizatus declinare poteſt: Vbi verò Concilium ſynodali decreto acceptatum eſt, cætera omnia obligare non eſt dubium.

Ieſuitarũ conatus non poteſt effugere Excommunicationem.

Quapropter Viro Catholico non eſt dubitandum, quin omne quod minuit Eccleſiaſticam Iuriſdictionem habeat annexam excommunicationem latæ ſententiæ Papæ reſervatam. At Inſtitutio Carolo-Ferdinandææ Academiæ minuit Eccleſiaſticam juriſdictionem. Nam eximit Cęſaris auctoritate politicâ totam Academiam, hactenus quoad Carolinam Archiepiſcopo Pragenſi tanquam Capiti ſubjectam ab omni prorſus hujus regni Iudice Eccleſiaſtico, transferturque eâdem politicâ Cęſaris auctoritate in Ieſuitas Academię moderatores omnimodum jus ordinarium in totam Academiam, in omnes Pædagogos Pragenſes, totiusque regni ſcholas triviales & Gymnaſia, nec non & jus omnimodę cenſurę omnium librorum totius regni, cum jure Inquiſitionis ac Correctionis hęreticę pravitatis in omnes Academię profeſſores, pędagogos Pragenſes, totiusque regni ludimagiſtros, ut alia reſpectivè minora, ſed abſolutè ſatis gravia omittantur, quę omnia ex Bulla quam Patres Societatis Cęſari ſignandam ac firmandam obtulerunt, ad oculum clariſſimè demonſtrantur: Nimirum

mirum quòd tale jus transferatur ab Archiepiſcopo in Patres Societatis, quodve hęc tranſlatio fiat auctoritate Cęſareâ ac Regiâ. Illud quidem diſertiſſimè explicatur in pręfata Bullę Cęſareę formula, ad quam hac in parte provocamus: Hoc verò ex eadem adductis formalibus verbis ac clauſulis oſtenditur, ſic enim habet textus.

Quapropter æmulatione pietatis Maiorum &c. auctoritate noſtrâ Imperiali & regiâ Univerſitatem Carolinam Univerſitati Ferdinandææ Societatis Ieſu in noſtra Civitate Pragenſi pleno in perpetuum iure unimus &c.

Paulo infrà.

Neque huic noſtro Conſilio obtẽdi poteſt qualecunque Carolinæ privilegium: (nota, licèt Papę privilegio Archiepiſcopus ſit Univerſitatis ſuprẽmũ caput) *quando nos illam ob eius demerita abolere penitus potuimus, & quoad ea prorſus abolemus, quæ præſenti à Nobis effectæ unioni repugnare contigerint. Itaque ſupremum huius totius Univerſita-*

tis Rectorem perpetuis futuris tempori- bus eum eſſe volumus, qui Collegij noſtri Cæſarei Societatis Ieſu Rector pro tem- pore extiterit, à Superioribus eiuſdem Societatis de more inſtitutus.

Deinde infra iterum ceſſant jura Carolinę obſtantia huic novellę erectioni his verbis.

Præſenti diplomate auferimus, abro- gamus, & abrogatum, caſſumque eſſe auctoritate noſtra pronunciamus.

Vbi verò confirmantur privilegia Carolinę in uſum Carolo-Ferdinan- dęę & ſpecialiter exemptionis à Iudice politico ex Vvenceſlai Cęſaris, & ab omni Iudice Eccleſiaſtico ex Bonifacij IX. decretis. Sic habet textus: *Itaque nos eandem &c. poteſtatem Rectoribus hujus Carolo-Ferdinandææ Academiæ confirmamus, & quantum in nobis eſt innovamus, &c.*

Non eſt autem in Cęſaris Poteſtate jura Archiepiſcopalia Archiepiſcopo adimere, ac in jus Ieſuitarum transferre: Deinde paulò infrà ſic habet.

Inſuper ſubiicimus eidem Rectori, omnes & ſingulos trivialium ſcholarum

in-

in Urbe Praga magiſtros & quoscunque pædagogos &c. Qui in omnibus ſeſe dicti Rectoris aut Delegatorum eius poteſtati, diſpoſitioni, inſpectioni, viſitationi accommodent &c.

Et paulò poſt.

Nemini verò prorſus liceat ullam novam pædagogiam aut cuiuscunque facultatis &c. niſi obtenta in ſcripto à Rectore Academiæ licentia, emiſſa in manibus eius fidei ſanctæ profeſſione, inſtituere, quin etiam Rectori, exceptis, quæ ad aliquod aliud Societatis Ieſu Collegium antea ſpectabant, omnia totius regni Cymnaſia & triviales ſcholas ſive iam erectas ſive erigendas ſubiectas eſſe volumus &c.

Vbi vides excepta eſſe gymnaſia Ieſuitarum, nulla verò quæ Iuris Archiepiſcopalis ſunt: Demum ad evitandam prolixitatem, ſola auctoritate Cęſarea ac Regia conferuntur Rectori Ieſuitę jura Inquiſitionis ac Correctionis hæreticę pravitatis, Cenſurę librorum & ſimilium, ita ut in tota hac Bul- *Ieſuitæ ſummum in Bohemia imperium affectant.*

la ne minima quidem notetur clauſula, quæ Ius Pontificium vel Archiepiſcopi Pragenſis reſervet, ſed deſpotica, Cæſarea ac regia poteſtas ſola ſupponitur & adducitur. Neque dubium eſſe debet, quòd ſi Cæſar hoc facere poſſet, aut præſumeret, ex vi privilegij cujuſpiam ſive collati à Summo Pontifice, ejus privilegij vel unicam Patres Societatis feciſſent mentionem aut inſinuationem, prout fieri debet, quãdo extraordinaria juriſdictio exercetur, ſed nihil horum redolet illa bullæ formula fabricata ſtudio & conſilio Patrum Societatis. Quis ergo dubitet per hanc Carolo-Ferdinandææ Vniverſitatis erectionem exauctorato ex parte Archiepiſcopo intrudi auctoritate politica ad ea jura unum hominẽ Ieſuitam? At hoc manifeſtiſſimè derogat juriſdictioni Eccleſiaſticæ: Nam jus inſtituendæ Vniverſitatis, maximè in qua jus Canonicum, Theologia ac Biblia doceantur, eſt penes Summum Pontificem. Sic ſentiunt Theologi ac Canoniſtæ. Id patet cùm ex multis Canonibus, tum maximè ex decretis Innocentij Tertij in Concilio generali & Honorij III. Item in Concilio

gene-

generali: Vide extra: de Magiſtr. per tot. Hoc intellexit Carolus I V. Qui à Clemente V I. Summo Pontifice ſupplex petiit erectionem Carolinæ Vniverſitatis, quam à præfato Pontifice erectam & Archiepiſcopali juriſdictioni innixam, ampliſſimis prædiis & cẽſibus Eccleſiaſticis, Eccleſiaſticorumque liberali contributione donauit, ut refert Hugo in ſua Bohemica Chronica pag.2. ſub. Anno Domini 1348. quã Carolinam nunc patres Societatis euerſum eunt, novamque (licèt titulo tenus antiquam:) à Principe politico erectam volunt, ipſi Societati emancipandam, ab Archiepiſcopo: Deinde jus in Academias & Vniverſitates de Iure Canonico præcipuè demandatur Ordinario illarum partium, ubi vigent ſtudia generalia. Vide præfatum decretum de Magiſtr. per totum. Vnde nulla extitit Vniverſitas Catholica exempta à juriſdictione Ordinarij, quin imò ut plurimùm ſupremum jus habet Epiſcopus titulo Cancellarij Vniverſitatis. Hoc ipſũ noviſſimè decrevit Cõciliũ Tridẽtinum ſeſſ. 5.c.1. & ſeſſ.25.c. 18. Vbi triviales ſcholas, Seminaria & Collegia ſtudiorum univerſalium pro-

videntiæ & juriſdictioni Epiſcoporum demandat: hanc verò Carolinam Clemens VI. juriſdictioni Archiepiſcopi Pragenſis ſubjicit quoad doctoratus ac magiſterij dignitatem conferendam, ut patet ex illius Bullæ copia. At Patres Societatis auctoritate Principis politici amotum volunt ab Vniverſitate Archiepiſcopum ſibi omnimodam juriſdictionem arrogantes.

Cenſura verò librorum ſive venalium, ſive imprimendorum, maximè in concernentibus fidem, eſt juris Epiſcopalis & Inquiſitorum. Sic habet perpetua conſuetudo in Eccleſia Dei. Noviſſimè verò Sacra Oecumenica Synodus Tridentina hanc cenſuram Summis Pontificibus delatam voluit, qui Cardinalium Congregationi, Magiſtroque Sacri Palatij ad id muneris conſtitutis, ampliſſimas facultates & privilegia conceſſêre: Præcipuè Pius IV. Sixtus V. Clemens VIII. quorum auctoritatem voluerunt præfati Pontifices eſſe præcipuam, cui omnes reliqui ſive Eccleſiaſtici, ſive Seculares, & nominatim Vniverſitates omnes ſubjiciuntur, ut expreſſè habet bulla Clementis VIII. data 17. Octobris Anno

1595.

1595. His verò ſuam operam navare teneantur Epiſcopi, & Inquiſitores, ut habetur in præfatione ad Indicem librorum prohibitorum facta à deputatione Tridentinæ Synodi. Quod jus ademptum Archiepiſcopo Cæſareo ac Regio decreto ſibi uſurpant Patres Societatis.

At inquiſitio & correctio hæreticę pravitatis, ubi viget officium Inquiſitionis, ſpectat ad Inquiſitores, ſecus eſt juris Epiſcopalis: Inauditum verò eſt Regulares à Seculari Principe poſtulare ordinarium jus præfatæ Inquiſitionis, in pleroſque ſubditos proprij Epiſcopi. Res eſt evidentius abſurda, quàm quæ indigeat confutatione, & tamen Patres Societatis id juris ſibi committi volunt à Principe politico.

Sed jus in ſcholas triviales Eccleſiæ Cathedralis Pragenſis eſt penes ſcholaſticum hujus Metropolitanæ Eccleſiæ. In reliqua verò totius regni Gymnaſia, eſt etiam penes Decanos & Parochos Archiepiſcopo ſubditos, ſic enim habet ſtatutum Eccleſiæ Pragenſis.

Scholaſticus Pragenſis uti Prælatus

Metropolitanæ Pragenſis Eccleſiæ de cauſis omnium Rectorum, ſcholarum Civitatis & Diœceſis Pragenſ & ſuburbiorum eius tanquam eorum Ordinarius, iudicialiter habet cognoſcere, & ipſa ratione prævia terminare, rebelles per ſuſpenſionem à rectoria ſcholarum compeſcendo, ad quem etiam examen ſeu approbatio Rectorum ſcholarum pertinet, &c.

Quo igitur jure ſit tam præceps irruptio in omnium Eccleſiaſtica jura, & quidem à Regularibus, invocatâ ad id auctoritate politicâ, quâ illorum arbitrio ſtet totius regni ſcholarum Rectores ad Rectorem Vniverſitatis revocare, correctos remittere, loco ac regno movere ac proſcribere?

Demum exemptio ab omni judice Eccleſiaſtico, nominatim verò ab Archiepiſcopo Legato Nato, & jus Eccleſiaſticum ſimul & politicum & civile in innumerabiles perſonas, quæ in cauſis ſpiritualibus & mixtis ſubduntur Archiepiſcopo, eo Eccleſiaſticæ immunitati magis adverſantur, quòd hæc à Principe politico poſtulantur.

Sanè

Sanè prudentiſſimè Sacra Cæſarea atque Regia Majeſtas id negotij inconſulto Archiepiſcopo terminare detrectat, imitatus Carolum Quartum, qui in bulla aurea, quâ ſuam Carolinam Vniverſitatem privilegiis donavit ſeptimo Idus Aprilis, Anno 1348. auctoritate regiâ, non pontificiâ, regalia non Eccleſiaſtica jura ac munera largitus eſt, in qua præter regiam protectionem, & magnifica dona, quæ promittit, nihil concedit: (pręter privilegia, immunitates & libertates omnes, quibus tam in Pariſienſi, quàm Bononienſi ſtudiis Doctores & ſcholares auctoritate regiâ uti & gaudere ſunt ſoliti:) ſunt Caroli verba formalia: Vide copiam.

Id verò efficacius adſtruitur ex eo, quòd Synodali decreto in toto hoc Bohemię regno ſit Concilium Tridentinum receptum, pręceptumque in virtute ſanctę obedientię, ut obſervetur, quemadmodum teſtantur acta Synodalia Archidiocesana habita Anno 1605. Porrò ſi hęc non derogare Eccleſiaſticę juriſdictioni volumus, ridiculam faciemus Summi Pontificis totiusque Eccleſię auctoritatem, & per-

Ieſuitæ auctoritate Pontificis & Eccleſiæ faciunt ridiculã.

niciofiſſimo exemplo proſtituemus Eccleſiaſtica jura cuilibet temeranda, quod abſit.

Itaque cùm hęc erectio Caroloferdinandęę Academię transferat auctoritate politica jura Archiepiſcopalia in eum, qui nec eſt ordinis Epiſcopalis, nec eſt ullo jure emancipatus ab Archiepiſcopi ſubjectione, cùm inquam exinde graviſſimè minuatur hujus Metropolitanę Eccleſię libertas, nec non & ſummi Pontificis ſedisque Apoſtolicę auctoritas, haud dubium quin ea annexam habeat excommunicationem latæ ſententię, Papę reſervatam. Hoc igitur titulo ea Carolo-Ferdinandęę Academię erectio per ſacros Canones Bullamque in Cœna Domini deteſtabilis eſt. Sed nec qualecumque ſit hoc Societatis (alioquin prudentiſſimę ac ſanctiſſimę) abortivum Conſilium, ſatis ſincerè Cæſari ſuadetur. Nam ad ſpeciem deſæviunt in Carolinam, quaſi rebellem & hæreticam, cùm nunc temporis nihil ſuperſit illius, præter Archiepiſcopum Pragenſem aliasque perſonas optimè meritas de Deo & Cæſare, & præter illius jura bonaque mobilia & immobilia, ex

quibus Patres Societatis auctoritate politica ſibi vendicant omne jus, & bona omnia mobilia & immobilia, hæreſis verò rebellionisque ſub umbra deſæviunt in Archiepiſcopum Pragenſem, Carolinæ Vniverſitatis Caput, aliaque membra Catholica, inque eorum jura ac privilegia, quæ omnia citra ullam culpam ac judicij formam abolita ac caſſata eſſe volunt, & quidem ab eo, qui id juris non habet. Nam ex præſcriptione ortum ducente ab impia hæreticorum invaſione in jura Archiepiſcopi, nec minimum juris decedit ipſi Archiepiſcopo; quod utique ſcire debuiſſent, qui ſoli in Vniverſitate docere præſumunt.

Ieſuitarũ ſævitia erga Archiepiſcopũ aliosque Catholicos Bohemiæ.

Similiter Monaſteriis ſuis S. Benedictũ excidiſſe volunt; quia Hæretici ea multis annis tenuerint.

Præterea committitur fallacia, dum ex eo quod Rector Collegij Pragenſis hactenus fuerit caput Academiæ Ferdinandææ, arguunt debere eundem eſſe caput Carolo-Ferdinandææ, cùm longè ſit diſpar ratio. Nam illa nullum epiſcopale jus contra jura ſibi vendicabat, hæc verò id juris præſumit, quod Archiepiſcopo injuſtè ademptum inaudito exemplo transfertur in unum hominem regularem ſpecie propagandæ Religionis.

Ieſuitarũ ambitio & domi-nandi libido.

Denique negotium videtur invidiæ, rixarum, ne dicamus ſeditionum prægnans, iis qui tantam præ ſe ferunt ſitim dominandi in Cleros ac Populos, concedere tam arbitrariam, & eatenus, ut dictum eſt, à Principe politico expoſtulatam ſummam omnium prærogativarum, exemptionum, antelationum, favorum & privilegiorum omnium totius Chriſtiani orbis Vniverſitatum à jurisdictione ordinariorum nuſquam locorum exemptarum, nec non vagam & in omnem partem ductilem juriſdictionem decernendi, & ſtatuta condendi quæcunque ſpectabunt ad lectiones, exercitationes, promotiones, ritus inſignia, morum diſciplinam & correctionem, & univerſè quicquid ad promovendum illarum facultatum bonum expedire judicatum fuerit, in quos fines nunc à Cæſare poſtulatur jus ac privilegia juri Eccleſiaſtico ac politico adverſantia, ut patet.

Sed de his quæ Politicam & Civilem tangunt juriſdictionem, aliorum eſt cenſura.

Ieſuitæ nolunt inhærere Cōcilio Tridentino.

Vtilius ergo eſſet inhærere ac inſiſtere decretis Sacroſanctæ Oecumenicæ

nicæ Tridentinæ Synodi, quæ ut fidem Catholicam alicubi collapſam reſtitueret, reſtitutamque conſervaret, de more univerſalis eccleſiæ per ordinem epiſcopalem, cui Regulares tanquam adminicula deſerviant, id præſtari decrevit, ac propterea imminutam Epiſcoporum auctoritatem reſtitutam eſſe voluit, quod cùm plurimi Pontifices, tum maximè præſtet Pius IV. per bullam præfatam. Quapropter idem Pontifex motu proprio ſui pontificatus Anno quinto deputavit Cardinalium Congregationem, qui Concilij decreta obſervare faciant, ſed Patrum Societatis conſiliũ de inſtituenda dicta Vniverſitate exadverſo occurrit conſilio Patrum præfati Concilij. *Sed ei directè adver antur.*

Nam ſic devolvitur in unum regularem, & clavis ſcientiæ in toto regno Bohemiæ: (ſi demas jus concionandi nec dum invaſum:) & magna pars poteſtatis jurisdictionis Archiepiſcopi, cui tantùm integra relinquitur poteſtas ordinis. Vnde non eſt mirum, ſi nuperrimum conſilium de fundandis quatuor Epiſcopatibus in hoc regno

Non aliter quàm Hæretici de facto invadunt jura Eccleſiæ, ſæcularis brachij fiducia.

exſpiraverit, Patribus Societatis interea de facto totam Academiam uſurpantibus, bonaque illius ſtabilia adminiſtrantibus, & actus publicos ac ſolemnes in eadem exercentibus, inconſulto penitus Archiepiſcopo.

VI.

IOHANNIS MARIANÆ
SOCIETATIS IESV
Theologi

LIBRI DE REGIMINE SOCIETATIS

CAPVT VI.

De Studiis.

IN Studiis Societatis defectus aliquos notabiles cōſidero. Dicam priore loco de Humanitatis, poſtea de Artium & Theologiæ ſtudiis. Homines noſtri ſuſceperunt in ſe onus docendi literas humanitatis in principalioribus Hiſpaniæ locis. Conatus haud dubiè conſideratione dignus, quoniam ea ratione adoleſcentes ad pietatem omnemque virtutem informantur, ne à primis annis vitia eos peſſumdent: ſed magnis res difficul-

Quo prætextu Ieſuitæ literas humaniores docendas ſuſceperint.

tatibus eſt implicata, cùm nationis noſtræ homines non ferè ad hoc ſtudiorum genus inclinent, & quoniam plerumque bonorum Magiſtrorum inopiâ laboramus, ſic ferè fit ut illi biennium aut triennium literas doceant, qui nec ipſi eas didicerunt, nec diſcere etiam volunt (qui ſtultorum mos eſt) adeoque auditores ab iis barbariſmos & improprietates diſcunt, quibus nunquam poſtea liberari poſſunt, ſicut etiam alia iis inhęrent, quæ in tenera illa ætate iis imprimuntur. Nullum eſt dubium, quin hodie in Hiſpania minor Latinæ linguæ ſit notitia, quàm quinquaginta ab hinc annis fuit. Credo ergo, imò verò pro certiſſimo & explorato habeo, unam principaliſſimam damni iſtius cauſam eſſe, quoniam Societas noſtra Studiorum profeſſionem in ſe ſuſcepit. Quod ſi homines bene intelligerent magnitudinem damni ex iſta docendi via reſultantis, non habeo dubium, quin per publicum decretum ſcholas nobis adimerent, quemadmodum jam tractari cœpit. Videamus quàm probabile foret regimen hoc, ſi in aliis artificiis permitteretur, ut Sarcinatores ea docerent ſub hoc colo-

Cuiuſmodi doctores humanitatis ſint Ieſuitæ.

Ieſuitarũ diſciplina eſt principaliſſima cauſa hodiernæ barbariei.

Itaque meritò ſunt ſcholis priuãdi.

Prætextus Ieſuitarũ friuolus & ridiculus.

colore & prætextu, quoniam illi ſint viri boni, à quibus novitij ſeu Tyrones virtutem diſcere queant. Neque tamen Societas prima eſt omnium Religioſarum familiarum, quæ hanc in ſe provinciam ſuſceperit. Nam Benedictinorum Monaſteria ſcholas publicas fuiſſe ex Trithemij Chronicis conſtat. Vereor ne idem ipſum, quod illis, noſtris etiam ſcholis uſuveniat, ut nimirum nobis adimantur, aut à nobis ultrò relinquantur. Onus ſine dubio eſt intolerabile, cùm tantus ſit Collegiorum numerus, quorum cathedræ omnes idoneis Magiſtris occupari non poſſunt. Antiquitus hominum ſecularium, qui Grammaticam profiterentur, quòd omnem vitam in uno eodem ſtudio conſumerent, alij in præceptis excellebant, alij in poëtica, alij in doctrinæ varietate. Iam in Societate noſtra vix invenitur, qui quicquam iſtorum bene ſciat. Sæculares verò cùm omnia loca ſibi à noſtris prærèpta videant, literas iſtas earumque profeſſionem negligunt. Ex quo fit, ut ſi quà eveniat neceſſitas, non ſit in Hiſpania, aut difficulter certè inveniatur, qui quatuor Latina verba jungere noverit.

Quid eſt, quod fuit? Ipſũ quod futurum eſt. Eccl. 1.

Ante exortos, Ieſuitas erant conſummati, literarum magiſtri.

Aliquot initæ ſunt rationes in Societate, ut damnis ejusmodi obviaretur. Earum una eſt Seminariorum Humanitatis inſtitutio. Haud tamen ſcio, ſatis ne magna ſit Seminariorum illorũ utilitas, quoniam Studioſi juvenes ſegniter in iſto Studiorum genere occupantur, animis in pulpito ſeu concionandi provincia, aut in Scholaſtica Theologia defixis. Remedium malo foret, ſi & pauciora ſint Collegia, vbi Humanitatis ſtudia coluntur, & profeſſores eorum plus honorentur. Nunc enim cùm videant, quo quiſque ſit literarum humaniorum imperitior, eo pluris illum fieri & ad officia promoveri, aut omnes, aut plerique omnes abeunt ab iſta via, & viam ignorantiæ, majoris fieri ſolitam, inſiſtunt. Maximæ ſanè difficultatis negotium eſt, ita literas iſtas moderari, ut & ſufficiant, nec aliis diſciplinis, quæ Societas profitetur impedimentum afferant.

Falſum mali tanti remedium.

Verum Remediũ.

Altiora ſtudia majore curâ tractantur, quamvis eorum, qui præſtantes in iis evadunt, exiguus ſit numerus, ſi reſpiciamus ad tam excellentia ingenia, quæ in Societatem recipiuntur, & ad otium, quo toto tempore ſtudiorum gau-

Pauci inter Ieſuitas boni Philoſophi & Theologi.

gaudent. Ejus rei cauſa eſſe debet, partim quòd locus deſit, in quo exerceat, quod didicerunt, partim quòd fundamentum in humanioribus literis non benè jactum habeant. Scholaſtica ſtudia ſicca ſunt, neque toti vitæ conveniunt. Et quoniam iis dediti neque Sanctos Patres, neque linguas intelligunt, ut Sacris literis poſſint incumbere, eo fit ut aut Concionibus ſacris, aut otio ſe dedant.

Ieſuitæ in docenda Philoſophia ac Theologia parũ concordes.

Aliud in iiſdem ſtudiis damnum eſt, minima Concordia. Suâ quiſque viâ ingredi poſtulat, neque eis quin pervincant obſiſti poteſt. Qua in re duo ſunt inconvenientia, quæ quotidiè experimur. Vnum, quòd in punctis ſivè capitibus doctrinæ nullá faciunt progreſſionem, neque auctiores fieri poſſunt. Nam quod alius affirmat, idem alius negat: quod huic perſpicuè verum, idem illi falſum videtur; unde fit, ut hominum noſtrorum doctrina nihil à Penelopes tela abhorreat, ut quod interdiu texunt, noctu retexant. Alterum inconveniens, quòd paucis annis omnia mutantur, non opiniones tantùm, ſed etiam loquendi modus, uſque eò ut exacto ſexennio alij alios non

Gaudent novitatibus.

intelligant, nec illi modò, qui reliquerunt Scholas & longo intervallo ad eas revertuntur, ſed etiam qui continenter in Scholis ſtudiisque manent. Hi enim non intelligunt eos, qui ex alio aliquo veniunt Collegio, ubi ſtuduerunt, aut novum Philoſophiæ vel Theologiæ curſum prælegerunt. Quidam ad iſta aliaque inconvenientia evitanda unicum remedium fore putant, ſi tam Theologiam, quàm Philoſophiam docentibus unus certus præſcribatur Auctor, quem diſcipulis explanent, ita ut ab eo diſcedere non audeant, ſaltem tantiſper dum in docendo plures annos conſumpſerint. Ejus ſententiæ rationes hîc exponam, cùm in hoc capite vel maximum ſit momẽtum ad ſtudia noſtra pro eo ac par eſt dirigenda. Primùm omnium noſtri in una doctrina iiſdemque opinionibus magis eſſent uniti & concordes: quæ res potentiſſima eſt ad factiones & diſſenſiones, quæ jam incipiunt, excludendas: Neq; verò ſatis eſt præcipere, ut S. Thomam in Theologia ſectentur (quemadmodum in Conſtitutione Societatis magisque ſeriò in Quintę Cõgregationis decreto, in libro denique

Verum eius mali remediũ.

Ratio prima.

Ge-

Generalis Aquavivæ de ratione ſtudiorum præcipitur) quoniam unusquiſque S. Thomam velit, nolit, in opinionem ſuam pertrahit, qua in re magnam lectionum ſuarum partem conſumunt, quod jam aliud novi damni genus eſt: ut hîc prætereàm multas quæſtiones, quæ hodie agitantur S. Thomæ temporibus ignoratæ, quocirca in mali hujus medicina aliquanto amplius progredi convenit ac tentare, ſi magis uniri queant præſcribendo aliquo S. Thomæ interprete, à cujus ſententia ordinariè diſcedere eis non liceat, ſaltem propter priuatum ſuum judicium.

Deinde, iſtâ viâ ſecuriùs incederent, neque in novitates interdum prejudiciales ac periculoſas prolaberentur. Cùm enim luxurient ingenia atque inſigniri geſtiant, ſemper aliquas ſaltem novas inquirunt ſemitas, unde ſe præcipitent, niſi eis libertas iſta ſuas ac novas opiniones docendi penitus adimatur. Fidem huic rei fecerint turbæ & claſſica, quæ nos quotidie inquietant, & boli illi, quos deglutire & concoquere cogimur. *Ratio II.*

Ad hæc ſtudioſi juvenes præter *Ratio III.*

quòd iſtâ viâ doctrinam ſecuram, & à multis tritam ſequentur, plus etiam & majori cum fundamento ſcient. Nam plerumque cujus typis impreſſi ſunt libri Theologici, doctior eſt eo, qui jam primum ad docendam Theologiam accedit, & exactiùs res conſiderat, & alias cum aliis connectit, in quo quidem ſunt omnia ad Theologiam Scholaſticam & Philoſophiam pertinentia.

Ratio IV. Præterea iſto modo opiniones, quæ magis probabiles & Societati congruẽtiores viſæ fuerint, multa cum ſuavitate, ac ſine violentia illa introducentur, quam in promulgatione & exſecutione libri illius de ratione ſtudiorum in principio experti ſumus, & quotidiè Doctores erunt auctiores. Nam alius aliud argumentum tuendis illis opinionibus excogitabit: quod contra nunc uſuvenit, ut quod alius ædificat, alius diruat, neque ulla opinio vires acquirat: nihil enim aliud noſtri eſt operis, quàm texere & retexere. Multas jam in ſcholis noſtris opiniones ab hac cauſa invaluiſſe video, quæ quondam pro peregrinis, inſolentibus ac falſis habebantur.

Ratio V. Hoc ampliùs, iſta ratione duplo plus, quàm

quàm nunc, doceretur, & partes Summæ Theologiæ S. Thomæ intra quadriennium, velut deſideratur, abſolvi, & numerus Quæſtionum, quas liber de ratione ſtudiorum ſingulis doctoribus præſcribit, percurri poſſet, quod propter eam, quâ hodie utimur, rationem omnino impoſſibile videtur.

Accedit quòd hoc modo dictationibus ſuperſedebitur, adeoque valetudini auditorum conſuletur, quorum multi eam affligunt atq; perdunt ſcribendo, quæ dictantur: lucrifient etiam ſumptus, qui fiunt in librarios ſive exſcriptores, inque vecturam, cùm locum mutantes ſcripta ſua ſecum portant. Nec enim jam eſt adoleſcentulus, qui non habeat tantùm dictationum, quod capſam impleat: per quam quoque viam pedetentim Proprietarij evadimus. Tempus etiam, quod jam excipiendo dictata ſcribendoque conſumitur, legendis bonis auctoribus impertiri auditores poſſent, quâ quidem ratione multò doctiores fierent, quàm per Magiſtrorum dictata. *Ratio VI.*

Præterea ipſorum Magiſtrorũ minueretur labor, & augeretur eruditio, quod enim colligendis & ſcribendis *Ratio VII.*

ſuis lectionibus tempus impendunt, in majoribus ſtudiis, puta S. Scripturæ aut eruditionis Eccleſiaſticæ inque linguis conſumere, ſubinde certè aliquid operæ ſuę ad ea conferre poſſent, cujus rei fructus eſſet, ut exuerent Barbariem illam, quæ hodie in Hiſpaniis viget.

Ratio VIII. Poſt autem alij alios intelligent, tametſi in diverſis collegiis aut provinciis ſtuduerint, & illi, qui hodie ſtudent, cum iis, qui viginti aut triginta ánnis priùs ſtuduerunt, eaſdem opiniones iisdemque terminis ſeu loquẽdi generibus tractatas videbunt, nec vel novæ quotidie Quæſtiones, vel in veteribus quæſtionibus nova & peregrina loquendi genera excogitabuntur, velut nunc fit, quoniam ingenia gaudent libertate, nec ad certam docendi formulam alligantur.

Ratio IX. Huc adde, quòd eodem modo cęterę Religiones conſecuti ſunt, ut ſuis doctoribus inter ipſos conveniret, Dominicanis nempe in S. Thomę, Franciſcanis in Scoti, Carmelitanis in Bachonis doctrina. In principio nimirum eaſdem, quas hodie nos Ieſuitę, difficultates experti ſunt, nec melio-

rem

rem invenerunt viam, quàm ut certum ſuis auctorem præſcriberent, à quo diſſentire non poſſent, quod quidem inſtitutum in principio rigidiùs videntur cuſtodiſſe, quàm hodie, cùm eis permittunt, ut ſuas lectiones dictent, modò ne ab auctore quem amplexi ſunt, diſcedant.

Poſtremò in Univerſitatibus Cathedras S. Thomæ, Scoti & Durandi inſtitutas videmus, eo conſilio, ut apparet, ut doctores iſtis tantùm auctoribus uterentur, & excluderentur incommoda, quæ hodiè experimur, quæque illos quoque Univerſitatum conditores expertos fuiſſe conſentaneum eſt. In Academia Salmanticenſi lex vetus eſt, ne Magiſtri quicquã dictent, velut Antonius Nebriſſenſis in quadã Repetitionum ſuarum affirmat. Confuſio, quam hodiè ex ſcriptis dictationibus naſci videmus, moviſſe eos videtur ad ſanciendam illam legem, ut dãno illi obviarent. Rex denique Catholicus Philippus II. re multis conſultationibus agitata decrevit, ut Magiſtri ad S. Laurentij Scurialij libros prælegerent, dictando autem ſuperſederẽt, idque hodiè adhuc obſervari audio. *Ratio X.*

VII.

DANIELIS HOSPITALII

AD REGES PRINCIPESQVE CATHOLICOS

CONSVLTATIO

De cauſis & Modis conſervandæ & amplificandæ Societatis Ieſu,

Vt perpetuò durare, deque Eccleſia Dei & Regnis ac Rebusp. Chriſtianis præclarè ſemper mereri poſſit.

SI quiſquam eſt, qui Societatem Ieſu à *Divo Ignico* ſive *Ignatio Loyola* conditá & conſtitutam, & Apoſtolicæ Sedis auctoritate cõfirmatam, ingentes Eccleſiæ Dei omninoque

ninoque generi humano utilitates attuliſſe, eâque re optimi ac maximi cujuſque benevolentiâ, favore & auxilio digniſſimam eſſe cenſet, in his ego nomen profiteor meum, ac nato nemini de ſtudio erga illam ejusque conſervandæ & amplificandæ cupiditate nec tantillum conceſſero. Verùm tamen nõ minimæ cautionis eſſe intelligo, ne quibus factum volumus, ultrò etiam noceamus, & quos complectimur, imprudentes ſtrangulemus. Eſt enim ſi verum quærimus, alia recta & laudabilis erga alios benevolentia, alia vitioſa ac turpis. Qui Ieſuitis ea cupit adeſſe, quæ cùm ipſis, tum cæteris ad ſalutem eſſe poſſunt, abeſſe rurſum, ex quibus meritò ſive ipſis, ſive aliis corruptelam exitiumque metuas, ejus enimverò benevolentia & viro & ſapiente gratoque digna eſt. Sin autem quicquid ipſis libet, contingere eis optat, parum omninò penſi ducens, quod id nec ipſorum, nec aliorum ſaluti expediat, minimè dubium eſt, quin id à Muliebri quadam aut puerili benevolentia proficiſcatur, quæ ſcilicet non niſi voluptatis alicujus lenocinio conflata ſit, quod quis Ieſuitis inde à primis pueritiæ annis adſueverit, eorumque blanditiis & obſequiis delinitus nihil ipſis præter animi ſententiam evenire, eos albæ gallinæ filios eſſe, ac quicquid contigerint,

roſam continuò fieri impenſè concupiſcat. Sic porrò animis affecti exemplo ſuo verum faciunt, quod ait Seneca: *Familiariter domeſtica adſpicimus, & ſemper judicio favor officit.* Quisquis enim ſive ſe ipſum, ſive alios amat, non aliter cęcutit & alucinatur, quàm in cujus oculos ſuffuſus humor luminis acié obtundit, velut ex Platonis ſententia Plutarchus diſputat. Ad hoc ergo exemplum, qui Ieſuitas amat, longè ille abeſt, ut eos *humana matre natos* meminerit, *humano patre*; quibus idem ipſum, quod multis aliis Religioſarum familiarum hominibus uſuvenire queat, ut nimirum partim eos ęvi longinqua vetuſtas immutet, partim res ex ſententia fluentes, opes, honores, Principumque ac Magnatum gratia depravet, in iisque veteres artes ægrotent ac prorſus tandem perimantur. Neque tamen iſtius notæ homines, niſi palàm inſaniant, ſe Ieſuitarum res penitiùs perſpectas habere, aut Societatem eorum plus amare ſibi perſuadebunt, quàm qui unus omnium diutiſſimè in ea vixerit, eamque per annos amplius quinquaginta docendo ac ſcribendo illuſtrarit. Is eſt *Pater Iohannes Mariana*, celeberrimus ætatis noſtrę Theologus & Catholici Regis Hiſtoriographus, cujus ſumma virtus, integritas, in ſcribendo ac loquendo libertas, prudentia & li-

teræ

teræ orbi jam univerſo, præcipueque Regibus ac Principibus multò ſunt notiores, quàm ut cujuſquam prædicatione commendari debeant. Is in libro ſuo *de Regimine Societatis Ieſu* (quem non ut in vulgus exiret ſcripſerat, ſed ut privatim Ieſuitas de Societatis conſervandæ & à maturo interitu vindicandæ rationibus admoneret) *Claudij Aquavivæ* ambitione totum imperij formam immutatam eſſe, & in Tyrannidem teterrimam degeneraſſe,eaque ex re Societatem delatoribus & adulatoribus plenam eſſe, neminemque Sociorum non in Summo metu ac moleſtia vivere dolentiſſimè conqueritur: eumque nimis vera ſcribere *Pater Floravantius*,& ipſe Societatis Theologus ac ſummo Pontifici à ſacris Confeſſionibus ſummo cum animi ſenſu agnoſcit. Nec non idem alij Ieſuitarum, qui veterioris notæ ſunt, ingenuè apud amicos confitentur. *Mattheus* quidem *Greuterus Argentinenſis*,qui nunc Romæ imaginibus in ære incidendis vitam tolerat, de *Patre Conrado Vetter* (quo nemo omnium in Germania magis Hæreticos agitavit , quorum ille ſumma cum gratulatione nonagenario major non ita pridem deceſſit) id eum minimè obſcurè adverſum ſe tuliſſe teſtis eſt. Sæpe enim amicis narrat,cùm adhuc adoleſcens ad eum veniſſet , eique

roſam continuò fieri impenſè concupiſcat. Sic porrò animis affecti exemplo ſuo verum faciunt, quod ait Seneca: *Familiariter domeſtica adſpicimus, & ſemper judicio favor officit.* Quisquis enim ſive ſe ipſum, ſive alios amat, non aliter cęcutit & alucinatur, quàm in cujus oculos ſuffuſus humor luminis acié obtundit, velut ex Platonis ſententia Plutarchus diſputat. Ad hoc ergo exemplum, qui Ieſuitas amat, longè ille abeſt, ut eos *humana matre natos* meminerit, *humano patre*; quibus idem ipſum, quod multis aliis Religioſarum familiarum hominibus uſuvenire queat, ut nimirum partim eos ęvi longinqua vetuſtas immutet, partim res ex ſententia fluentes, opes, honores, Principumque ac Magnatum gratia depravet, in iisque veteres artes ægrotent ac prorſus tandem perimantur. Neque tamen iſtius notæ homines, niſi palàm inſaniant, ſe Ieſuitarum res penitiùs perſpectas habere, aut Societatem eorum plus amare ſibi perſuadebunt, quàm qui unus omnium diutiſſimè in ea vixerit, eamque per annos amplius quinquaginta docendo ac ſcribendo illuſtrarit. Is eſt *Pater Iohannes Mariana*, celeberrimus ætatis noſtrę Theologus & Catholici Regis Hiſtoriographus, cujus ſumma virtus, integritas, in ſcribendo ac loquendo libertas, prudentia & literæ

teræ orbi jam univerſo, præcipueque Regibus ac Principibus multò ſunt notiores, quàm ut cujuſquam prædicatione commendari debeant. Is in libro ſuo *de Regimine Societatis Ieſu* (quem non ut in vulgus exiret ſcripſerat, ſed ut privatim Ieſuitas de Societatis conſervandæ & à maturo interitu vindicandæ rationibus admoneret) *Claudij Aquavivæ* ambitione totum imperij formam immutatam eſſe, & in Tyrannidem teterrimam degeneraſſe,eaque ex re Societatem delatoribus & adulatoribus plenam eſſe, neminemque Sociorum non in Summo metu ac moleſtia vivere dolentiſſimè conqueritur: eumque nimis vera ſcribere *Pater Floravantius*,& ipſe Societatis Theologus ac ſummo Pontifici à ſacris Confeſſionibus ſummo cum animi ſenſu agnoſcit. Nec non idem alij Ieſuitarum, qui veterioris notæ ſunt, ingenuè apud amicos confitentur. *Mattheus* quidem *Greuterus Argentinenſis*,qui nunc Romæ imaginibus in ære incidendis vitam tolerat, de *Patre Conrado Vetter* (quo nemo omnium in Germania magis Hæreticos agitavit , quorum ille ſumma cum gratulatione nonagenario major non ita pridem deceſſit) id eum minimè obſcurè adverſum ſe tuliſſe teſtis eſt. Sæpe enim amicis narrat,cùm adhuc adoleſcens ad eum veniſſet , eique

ſuum conſilium de nomine Societati dando aperuiſſet, ſibi totidem ferè verbis ab eo reſponſum fuiſſe: *Magnam equidem tibi gratiam habeo, qui tam benè de Societate noſtra exiſtimes, ut in eam te quoque cooptari expetas. Verùm ego mihi minimè hominis ingenui aut boni viri officio fungi videar, ſi eum errare patiar, qui tanta de re mecum deliberare, meoque uti conſilio voluerit. Quod ergo te, ſi Ieſuita fias, inter meros Angelos ætatem acturum ſpe & opinione præcipis, næ te plurimum fugit ratio. Si enim experimentum capias, pol tu extremæ nequitiæ Cacodæmonas magno numero inveneris. Ego quidem me Ieſuitam eſſe gaudeo, neque hoc vitæ genus cum quocumque alio mutatum velim, bonâ etiam ſpe ſum fore, ut Deo propitio meam in eo ſalutem operari beatoque vitæ fine quieſcere poſſim: nemini tamen alij, ut Societati noſtræ ſe ſuamque ætatem committat, auctor eſſe audeam, quippe quam ſui tam diſſimilem factam eſſe, & ab ea, quæ tum erat, quando in eam me intuli, uſque eo degeneraſſe videam.* Sed neque ſummum Pontificem noſtrum optimè erga Societatem animo affectum ac rerum ejus apprimè gnarum eſſe meritò quiſquam dubitaverit. Hic tamen apertè fert, *Generalis Ieſuitarum imperium eſſe Deſpoticum,* ſive herile, hoc eſt, Tyrannicum, & bono cuivis meritò inviſum. Nemo enim niſi improbus Tyrannidem in homines ingenuos ac bo-

àc bonis natos non cane pejus odiſſe atque exſecrari poteſt. Dum autem Tyrannidem in eo imperio Pontifex agnoſcit, eâdem operâ fatetur, ei adeſſe illa, ſine quibus ea imperij forma ſubſiſtere & cohęrere non poteſt, aſſentatores puta & exploratores ſeu delatores: quos in Societate pro neceſſariis haberi Marianâ diſertim confitetur. Itaque hodiernum Imperatorem nihil hac quidem in re à Pontificis judicio diſcrepare intelligimus, quando ſe etſi Societatis amantiſſimum, Ieſuitis nihilominus, iis puta, qui adulatores & delatores ſunt, iraſci poſſe profitetur: qua de re veteranus Ieſuita & Poloniæ provincialis *Iohannes Argentus* in ſuo pro Ieſuitis Apologetico ad Poloniæ Regem cap. 7. ita ſcribit: *Non eſt rationi conſonum pro uno nocente innocentes multos condemnare: At prudentis eſt, optimam illam mentem induere, quam Sereniſſimus Archidux Ferdinandus ſe induiſſe declaravit; cum Societatis hominibus ſe iraſci poſſe, Societati iraſci non poſſe pronunciavit.* Itaque hujus primarij Ieſuitæ, atque ipſius etiam Imperatoris judicio prudentiſſimus quiſque & optimæ mentis ſi minus Societati, ſaltem Ieſuitis iraſci poteſt: cui conſequens eſt Ieſuitas inveniri, qui bonorum iram factis ſuis mereantur. Quis igitur jam uſque eò cæcus & amens, ac non tam Societatis, quàm ſui

ipſius amans ſit, ut ſe ſolum rectè Ieſuitas noviſſe, & propter virtutes ac merita erga Rép.amare, reliquos omnes, ac nominatim Pontificem & Cæſarem, iſtoſque veteranos Ieſuitas Marianam, Floravantium, Vetterium & Argentum, aut cæcutire in Ieſuitarum rebus, aut minimè candidè pretium operæ illorum ſtatuere perſuaſum habeat? Ego quidem pro vero ac germano amore, quẽ erga Societatem Deo teſte profiteor, optimè de illa meriturum me puto, ſi operâ meâ annitar, ut ſublatis illis, quæ Pontificem, Imperatorem, aut quemcunque bonum in Societatis hominibus poſſunt offendere, non modò ab omnibus bonis vereque Catholicis amentur Ieſuitæ, ſed & merito ipſorum amentur, eumque erga ſe amorem illorum ſtabilem ac perpetuum fore ipſis exploratum ſit, ita ut Chriſtianiſſimus Imperator poſthac non modò Societati, ſed nec ſociorum cuiquam ſuccenſere poſſit. Hoc autem non aliis modis confectum dare poſtulo, quàm quos D.Ignatij inſtitutis, moribus & verbis conſentaneos videmus: de quo in vita ejus Maffeius ſcribit, dicere ſolitum: *Quibus artibus, quove Spiritu excitata & conflata eſt Societas, eodem profectò alenda & conſervanda eſt.* Cenſuit nimirum ſi, ut ſunt humana, temporis longinquitas nonnihil corruptelæ in

Socie-

Societatem invexiſſet, atque ab artibus illis illoque Spiritu, quo primùm conflata fuerat, eam adduxiſſet, aliter diu ſalvam ac vitalem eſſe non poſſe, niſi ad priſtinas artes ac nativum & primigenium, ut ita dicam, Spiritum retraheretur. Quæ porrò artes, quive Spiritus fuerit, quo Societatem Ignatius primum conflavit, id Maffeius paſſim explicat, & duobus hiſce capitibus complectitur, Fugâ Ambitionis & Avaritiæ. *Omnis* (inquit) *honoris gradus à Spiritu humilitatis ac paupertatis, quem profitetur Societas Ieſu, vehementer abhorret*, lib.2. cap.18. *Providit B.Ignatius quantum ingenio & cogitatione aſſequi valuit, cùm ut cæteris vitiis, tum verò ut Avaritiæ & Ambitioni, quæ duæ ſunt pernicioſiſſimæ mortalium peſtes, omnino obſtrueretur aditus, veræque Humilitati & Paupertati quàm maximus & maximè diuturnus honos ab omnibus haberetur*, lib.2. cap.20. *Si qui ex Sociis B.Ignatij factâ poteſtate ſe ad publica ſpectacula licita cõferrent, eos ipſe etiam atq. etiã jubebat ſine ullo arrogantiæ aut levitatis indicio modeſtiam ac ſubmiſſionem tenere, cedere omnibus, & infimũ ſemper locum eligere*, lib.3. cap.6. Præterea quã exactè ſuum ipſe inſtitutum obſervare & exemplo Ieſuitas eadem docere conſueverit, non uno loco Maffeius commemorat. Verbi gratiâ lib.3 cap.5. *Ab omni faſtu & moribus imperioſis vehementer Ignatius abhorruit. Al-*

loquendi ejus cauſâ nihil erat neceſſe tẽpus opportunum aut molles captare aditus: qualibet adiiſſes horâ, ſive corpore meliùs haberet, ſive deteriùs, & accipiebat benignè & patienter ad finem uſque, ſine interpellatione audiebat. Et lib.3. cap.1. *Peregrinis hominibus conditionem ipſo interprete (quod multùm apud Principes auctoritate valeret) in Aula quærentibus, negabat ſibi niſi cum ſummi regis Aula rem eſſe: ad eam ſi aditum optarent, daturum ſe operam, quantum labore ac precibus aſſequi poſſet, ut eſſent in intimis Regis amicis ac familiaribus.* Et lib.3.cap.8. *Voluntariam paupertatem, quam ille Religionis Murum appellabat, ad extremum uſque conſtantiſſimè coluit.* Et lib.3. cap.9. *Cùm lege caviſſet, ne quis è noſtris vel exſequiarum, vel ſacrificij, vel cujuſpiam omnino miniſterij nomine pecuniam aut eleemoſynam ullam acciperet, ne dum cogeret: eam ipſe legem diligenter ſanctèque in omni vita ſervavit, neque commiſit unquam, ut (quod vitandum eſt maximè) ſpecie pietatis quæſtum facere videretur.* Ac tametſi operarium ſuâ mercede dignum, neque nullum ad navãdam utilem Reip. operam in rerum victui, cultui, ſtudiisque neceſſariarum cõpia momentum eſſe intelligebat, ſedulò tamen cavit, ne plùs quàm ſat ſit, in ejuſmodi rerum præſidio confidere videretur, adeò ut Hieroſolymam profecturus nec viaticũ, nec comitem admittere voluerit, *quod à divina*

vina providentia (ait Maffeius) *pendere uſque-quaque cuperet. Perſpiciebat enim, ſi peregrinanti ſibi quippiam adverſi eveniſſet, fieri non poſſe, quin aliqua ſaltem ex parte comitis præſidio fideique confideret: proinde quicquid in eo ſpei locaſſet, id utique ex ea detractum iri fiducia, quam totam in uno Deo clementiſſimo parente ac rectore vellet eſſe repoſitam.* Eundem in S. Xaverio Spiritum, eaſdemque artes fuiſſe, idem Maffeius ſic teſtatur: *Omne commeatus & viatici genus in Indias ad prædicandum Chriſtum profecturus rejecit, cúm ita diceret: ſuſcepto paupertatis voto, & unius Dei cauſam agenti ſibi nequaquam eſſe de craſtino laborandum.*

Sic ergo habemus, quibus artibus D. Ignatius Societatem ſuam duraturam & incrementa ſumturam exiſtimarit, ſi nempe ſocij ſui ab omni ſuperbia, ambitione, faſtu & moribus imperioſis vehementer abhorreant, ſi omnibus cedant, & infimum ſemper locum in conſeſſibus eligant, ſi nihil ſibi cum Principum Aulis negotij eſſe velint, neque conditionem aut locum apud Principes quærentibus interpretes ſe aut precatores præbeant: ſi Avaritiæ etiam ſuſpiciones fugiãt, & voluntariam paupertatem conſtantiſſimè colant: ſi de craſtino non nimis laborent, neque fiduciam in commeatus aut viatici abundantia collocent, multò minùs au-

tem ſpecie pietatis quæſtum faciant ac diteſcant.

Neminem proinde intelligentem dubitaturum arbitror, ſi nunc S. Ignatius in terris exſiſteret, quin magnoperè ei probaturus ſim meam de conſervanda & amplificanda ipſius Societate ſententiam, nihil aliud, quā omnem à Societate Avaritiæ & Ambitionis quà culpam, quà ſuſpicionem excludendam proculque habendam eſſe cenſentis. *Omnium* quippe, *qui ad Rempub. accedunt rationes non veritate ſolùm, ſed etiam Famâ niti cenſebat Ignatius*, velut idem Maffeius auctor eſt. Apoſtoli enim Pauli monitum eſt, ut *Provideamus bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus, utque ab omni mala ſpecie nos abſtineamus:* hoc eſt, ut non eſſe tantùm, ſed etiam videri boni velimus, & ne cui de nobis ſuſpicioni locus ſit, accuratè caveamus. Nempe *unaquæque arbor de fructu ſuo cognoſcitur*, & tanti quicque quod dicitur, facere homines ſolent, quanti eum, qui dicit æſtimant. Itaque nemini magis, quanti ab aliis fiat, curandum eſt, quàm qui aliorum utilitati conſulere cupit. Talis enim effugere non poteſt, quin quantum de exiſtimatione ſua, tantum de aliorum ſalute deperdat. In quam ſententiam D. Auguſtinus ſcribit: *Non ſunt audiendi viri ſancti, quando reprehensâ in*

aliquo

aliquo negligentiâ ſuâ (per quam fit, ut in malam veniant ſuſpicionem, unde ſuam vitam longè abeſſe ſciunt) dicunt, ſibi coram Deo ſufficere conſcientiam: exiſtimationem hominum non ſolùm impudenter, verùm etiam crudeliter contemnentes, cùm occidant animas aliorum, ſivè blaſphemantium viam Dei, ſive etiam cum excuſatione imitantium non quod vident, ſed quod putant. Proinde quisquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam ſuam cuſtodit, ſibi benefacit: quisquis autem etiam Famam, & in alios miſericors eſt. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, aliis Fama noſtra.

Et Avaritiæ quidem excludendæ modus tribus mihi videtur partibus contineri. Primum, ſi Domus probationis omnes tollantur, tanquam contra D. Ignatij mentem præterque Societatis leges inſtitutæ, ac Novitij eodem prorſus modo educentur, quo apud religioſas familias cæteras ſolent, quemque ipſi Ieſuitæ à D. Ignatio traditum bene diu ſervaverant. Vt enim libri ſui capite quinto Mariana demonſtrat, *contra mentem D. Ignatij & contra ſtatuta ordinis introductæ ſunt Domus probationis, ubi Novitij exquiſitis epulis ac fructibus paſcuntur, variiſque deliciis & plurimis commoditatibus adſueſiunt: eoque fit ut animi magnæ partis Ieſuitarum ſint amantes deliciarum & intolerantes laborum ac moleſtiarum, adeoque pe-*

dibus iter facère & frigus æſtumque tolerare nolint. Hunc porrò graviſſimorum damnorum cùm temporalium, tum ſpiritualium Societati fontem & cauſam eſſe idem Mariana diſputat. Quod enim ad temporalia attinet, primùm nimio numero Laici ſeu Coadjutores temporales admittuntur: qua de re cap.7. & 8. Marianæ verba ſunt. *Societatem perdit nimia Laicorum multitudo, cùm quaſi dimidia Societatis pars ſint Laici, quoniam noſtri volunt Novitios & ſtudentes in nimio otio educare, neque ulli labori admovere, & quoniam dedignantur ab aliis Monachorum ordinibus quicquam diſcere. Ordinariè autem ſeu plerumque Laici noſtri ſunt parum rationis capaces, ingeniis aſperis, velut ex officina aut ab aratro profecti, laboris etiam fugitantiores, ita ut unus novitius tantum operis faciat, quantum duo aut tres Laici, cùm tamen duo Laici tantum conſumant, quantum tres Sacerdotes, quippe qui multum comedant, multum bibant, multum rumpant aut frangant, in faciendis deniq; impenſis animoſi ſint non aliter quàm ſi Comitum eſſent filij.* Deinde res hæc grandi ære alieno Societatem obruit, quod cap.5. Mariana queritur, qui etiam cap.8. ita damnum hoc exſequitur: *Societas ingenti ære alieno eſt obruta, ita ut in ſola provincia Toletana plusquam 250. millia ducatorum debeamus: nec enim facimus, quod aliis ſuademus & præcipimus,*

ut me-

ut metiamur reditus noſtros, nec plus expendamus quàm poſſidemus. Quando adhuc valde exigua erant facultates noſtræ, nihil alieni æris habebamus: nunc autem ditiores facti debitis penitus obruimur. Præterea iſta Novitiorum educandi ratio eos reddit adminiſtrandæ rei familiaris imperitiſſimos, velut ex his Marianæ verbis cap. 5. intelligi poteſt: *Noſtri nunquam didicerunt eſſe homines, ac propterea non aliter, quàm beſtiæ, ab aliis curari neceſſe habent. Quippe qui in Novitiatu ſuo ad nullam rei familiaris partem adhibeantur, itaque habeantur concluſi, ut neque eos videant, qui ſunt ejuſdem religionis, neque ab illis videantur.* Tandem ex eadem cauſa multi Sociorum valetudinis jacturam faciunt, aut etiam præmaturè vitâ carent, quoniam ductâ in Novitiatu conſuetudine, *diu multumque comedunt, neque tamen quicquam operis faciunt contra mentem & praxin D. Ignatij,* ut cap. 5. Mariana queritur, cujus ibidem hęc quoque verba ſunt: *Noſtri non ægrotant, neque moriuntur quia nimium laboraverint, ſed quia intemperantiùs cibis ſe repleverint ac delicatè nimis vixerint.* De ſpiritualibus verò damnis indidem oriri ſolitis ex his Marianæ verbis, quæ eodem capite quinto leguntur, judiciũ fieri poteſt. *Noſtri Novitiis educandis minimè ſatisfaciunt ſtatutis Societatis, quæ jubent Novitios probari peregrinationibus, hoſpitalium viſita-*

tionibus & miniſteriis ſervilibus. Nam talia aut omnino prætermittuntur, aut defunctoriè tantùm ac dicis causâ, ſeu pro forma, ab eis præſtantur. Itaque humilitatem, caritatem, patientiam aliasque virtutes potiùs ſpeculari ſeu meditari, quàm opere ipſo exercere diſcunt.

Alterum excludendę Avaritiæ caput eſt, ut qui Ieſuitarum profeſſi ſunt, in domibus Profeſſis, non in Gymnaſiis aut ſcholarum Collegiis vivant, neque eorum reditus conſumant, ſed paupertatem, quam voverunt, bonâ fide colant, & ex ſtipe oſtiatim corrogata victitent. Quod contra nunc fieri in Epilogo Mariana ſignificat: *Major pars Ieſuitarum, qui quatuor vota profeſſi ſunt, non ſervant paupertatis votum; cùm vivant in Collegiis eorumque reditus conſumant.* Iſti enimverò ſic ſe à Seneca compellari rectè ſtatuerint: *Eſt intolerabilis res poſcere nūmos & contemnere. Indixiſti pecuniæ odium. Hoc profeſſus es. Hanc perſonam induiſti: Agenda eſt. Iniquiſſimum eſt te pecuniam ſub gloria egeſtatis acquirere.*

Poſtrema Avaritiæ pellendæ ratio eſt, ut Collegia certis & ſtatis vectigalibus contenta ſint, & eleemoſynas nec petere à quoquam, nec accipere audeant, ita ut ſi verbi gratiâ civitas quæpiam quinquaginta Ieſuitarum operam habeat neceſſariam, in ſingula capita octoginta floreni vel aurei ſtati

ac per-

ac perpetui reditus ſtatuantur, in bibliothecam trecenti, totidem in ſacram ſupellectilem, certa item ſumma in Valetudinarium, in ſarta tecta ædium, quęque alia res poſcet, ut omninò ſibi ac neceſſitatibus ſuis abundè proviſum, nec de ulla re ad victum, cultum & tectum, tum etiam ad operam docendæ juventuti & ſaluti animarum navandam neceſſariâ ſibi laborandum fore intelligant. Si quorum Collegiorum majora ſint vectigalia, ea ſive ad alendos pueros literarum ſtudioſos, quibus neceſſaria non ſuppetunt, ſive ad ſcholas in aliis ciuitatibus inſtituendas Epiſcoporum (non autem P. Generalis Præpoſiti) auctoritate converti poſſunt.

Hoc modo ſi à Societate exſulet Avaritia, ut ſcilicet neceſſariis ad vitam & ad operam Dei gloriæ animarumque ſaluti navandam contenti ſint, primùm omnium malo illo vacabunt, quod opibus & divitiis, hoc eſt, rerum ſupervacuarum copiæ perpetuò ferè annexum invenitur, *Iæ ſatietate* puta, ſive plura poſſidendi deſiderio *Nunquam improbæ ſpei* (ait Seneca) *quod datur, ſatis eſt. Eo majora cupimus quo majora venerunt, multoque concitatior eſt avaritia in magnarum opum congeſtu collocata, ut flammæ infinito acrior vis eſt, quo ex majore incendio emicuit. Aequè ambitio*

non patitur quemquam in ea menſura honorum conſiſtere, quæ quondam ejus fuit impudens votum. Cui aſſecuto ſatis fuit, quod optanti nimium videbatur? Tu iſta credis excelſa, quia longè ab illis jaces: ei verò, qui ad illa pervenit, humilia ſunt. Mentior niſi adhuc quærit adſcendere. Iſtud quod tu ſummum putas, gradus eſt. Propter hoc periculum, ſupervacuarum opum deſiderium recidere ſic à Spiritu ſancto monemur. Proverb.23. *Noli laborare, ut diteris, ſed prudentiæ tuæ* (id eſt, in acquirendo induſtriæ) *pone modum. Ne erigas oculos tuos ad opes, quia facient ſibi pennas quaſi aquilæ, & volabunt in cœlum.* Id eſt, quia oculi tui ſive cupiditates tuæ ad altiſſima quæque ferentur, nec unquam quantiſcumque opibus ſatiari poterunt. *Infernus* enim *& perditio nunquam implentur, ſimiliter & oculi hominum inſatiabiles.* Proverb.27.

Deinde plus multò temporis Ieſuitæ habebunt, quod literarum ſtudio, & ſacris meditationibus impendant, cùm cauſa nulla ſit futura ut ad captandam Magnatum, divitum, orborum, præcipueque opulentarum viduarum gratiam, & ad ineſcandos inque gregem ſuum pelliciendos peculioſos aut formoſos adoleſcentes omnem cogitationem, ſtudium & laborem ſuum conferant, in eoque dies & noctes occupentur.

III. Multò plus in literis quà ſacris, quà profa-

profanis proficient; cùm tempus omne ſtudendo ac meditando conſument, eoque pacto longè pluribus in omni diſciplinarum genere eximiis viris Societas eorum illuſtrabitur, & multò majores Eccleſia utilitates ex ea percipiet.

IV. Non magnoperè ſatagent, ut Principum fiant Confeſſarij, cùm ea in re nec ipſis, nec Societati quicquam ſeri aut meti intelligent, quippe qui jam habituri ſint omnia, quæ vitæ uſus poſcit, & quicquam præterea cùm petere, tum accipere vetentur.

V. Neminem Principum aut Magnatum nec privatim nec publicè adulabuntur ad gratiam eorum colligendam, cùm inde boni nihil ſcilicet exſpectent. Ita nec aliis exemplo erunt ad gratiam Principum fœdis aſſentationibus colligendam.

VI. De fama & exiſtimatione aliarum religioſarum familiarum minimè detrahét, ſed omnes potiùs commendabunt & honore ac reverentiâ proſequendas curabunt, idemque eis officij genus ab illis viciſſim præſtabitur. Neutris enim cauſa erit, cur alios velut quæſtui ſuo obſtantes impeditum eant.

VII. Alios inſignes in literis viros nequaquam exiſtimatione ſuâ exuere volent,

nec à docendi provincia ſubmovebũt, quippe quos bene audire numeroque diſcipulorum ſine ullo Societatis damno florere poſſe intelligent.

VIII. Nullis utentur inimicis, nec alios homines aut doctos aut religioſos experientur infeſtos, ſublatâ videlicet æmulationis & invidiæ materiâ, mutuæque detractionis vel obtrectationis occaſione.

IX. Multò meliores inque Philoſophicis ac Theologicis ſtudiis præſtantiores facient diſcipulos, quippe qui ſive apud ipſos, ſive apud alios Magiſtros ſolidiora in humanioribus literis fundamenta jecerint. Nunc enim, ut Mariana ſcribit cap. ſexto, *ij literas in Societate docent, qui eas neque didicerunt unquam, neque diſcere volunt*, cùm eas contemni ac literatos jacere, nulloque ferè numero haberi in Societate videant: unde porrò idem fieri queritur, *ut perpaucos Societas bonos Philoſophos ac Theologos habeat, nullos excellentes Concionatores, nullos Eccleſiaſticarum rerum, nullos humaniorum literarum peritos*, ut ejuſdem cap. 14. videre eſt. Itaque apud Tranſalpinos eum, qui benè ſit in Græcis ac Latinis ſcriptoribus verſatus, pro Hæretico habere contingit, quod ſatis exploratum ſit, Ieſuitarum auditores in Hellade ac Latio hoſpites eſſe, nec ferè niſi *Pontanos, Raderos, Bidermannos*,

Famia-

Famianos, Gallutios, Maffaios, aliosque ſemidoctos & ſemibarbaros nugarum ſcriptores cognitos habere.

x. Nihil villarum, fundorum aut ruſticorum prædiorum habere volent, aut poterunt, ademtâ eis omni de rebus ad vitæ uſus neceſſariis cogitandi neceſſitate.

xi. Aberunt à faſtus ac ſuperbiæ periculo, ut rectiùs ſe colligere & Humilitatem religioſamque modeſtiam, quam profitentur, opere ipſo præſtare poſſint. Nunc enim ut Mariana cap. nono experientiâ compertum ſcribit, *prædia ruſtica cauſa ſunt, cur Ieſuitis animus accedat parum humilis, & parum ſpiritualis*.

xii. Nimio Laicorum numero non gravabuntur, quoniam opera eorum ad prædia ruſtica non requiritur, in Collegiis autem domeſtici miniſterij partes Novitiis, iiſque qui literis operantur, mandari poterunt: quod ex multiplici Societatis uſu futurum Mariana cap. 5. & 7. demonſtrat.

xiii. Vix ullam jure cum aliis experiundi ſeu litigandi occaſionem habebunt, neque cauſis eorum tribunalia perſtrepent, quoniam ſcilicet neque hæreditates ullas captabunt aut perſequentur, neque prædiis abdicatis ulla de re cum vicinis ambigent, quemadmodum nunc quotidie, Romæ præ-

ſertim, eis uſuvenit: ubi hoc etiam ab Illuſtriſſimo Cardinali *Marcello Creſcentio*, cùm Cameræ Auditorem ageret, aliiſque juri reddundo pręfectis obſervatum eſt, etſi perſæpe causâ cadant Ieſuitæ, nunquam tamen eos animum inducere, ut veris victos ſe agnoſcant, ſuamque cauſam minùs juſtam fateantur, quin invidioſiſſimè de Iudicibus querantur, velut in alteram partem ęquo inclinatioribus, ſibique ſub eis parem dimicationem fuiſſe negent.

XIV. In ſuo poſthac ære eſſe poterunt, nec alienos paſcere nummos neceſſe habebunt, quoniam nec prædia ruſtica, nec tantùm otioſorum hominum, præcipueque Laicorum alent. Vt enim capp. 5. 7. & 8. Mariana monet, Societas ingenti ære alieno nunc eſt obruta, ita ut *in ſola provincia Toletana plusquam ducenta quinquaginta ducatorum millia debeat*: cujus rei præcipuas eſſe cauſas ait, *quod Novitij & Studentes in nimio otio ac deliciis educentur, neque ulli labori admoveantur. Hinc enim fieri, ut animi magnæ partis Ieſuitarum ſint amantes deliciarum & laborum ac moleſtiarum intolerantes, adeoque pedibus iter facere & frigus æſtumque tolerare nolint: ut etiam dimidia quaſi Ieſuitarum pars ſint Laici, homines plerumque rationis parum capaces; velut ab officina aut aratro profecti, qui honorem parvi faciant & labores*

bores refugiant, multum tamen interea comedant, multum bibant, multum corrumpant, in faciendis vero impenſis animoſi ſint non aliter ac ſi Comitum eſſent filij: Eo accedere, quod litium quoque impenſæ vehementer Societatis facultates imminuant *quotannis* quippe *in Lites & vecturas librorum ac literarum plusquam quinquaginta ducatorum millia in Societate ſumti fieri.*

XV. Curâ collegiorum, in quibus convictores pueri aluntur, poſthac ſe abdicabunt & oneri iſti omnium ingratiſſimo, nec minimum lubrico & ſuſpicioſo; hominibus quidem certè tranquillitatem & quietem animi conſectantibus vehementer adverſo, ſæculares potius Sacerdotes, aut quemvis alium ſuccedere patientur. Siquidem cauſa erit ademta, cur aliquantulum lucelli ex cõvictoribus facere, eorumque impenſis nonnullas Societatis ſuæ tolerare cupiant.

XVI. Magno vereque improbo levabuntur labore alienos libros compilandi, ut ingentia ac Giganteæ molis volumina ſubinde extrudant, eoque pacto plauſum popularem & ſingularis cujuſdam præ cæterarum religioſarum ſodalitatum hominibus ingenij, ſapientiæ & eruditionis opinionem ſibi conficiant. Cùm enim nihil eis ad vitam neceſſarium ſit defuturum, nihil etiam præ-

terea emolumenti acceſſurum, quis eos gratis nulloque tanti laboris pretio tam ſatageos vereque ærumnoſos futuros credat?

XVII. Non habebunt, cur cæterorum Religioſorum ſimiles videri, Deoque preces, laudes & hymnos in Choro decantare tantoperè aſpernentur: Plurimum enim téporis Avaritia iis, quos dixi, modis coërcita lucrifacient, quippe ubi nec de colligenda Principum gratia erunt ſoliciti, nec in occaſiones captandarum hæreditatum intenti, nec litium moleſtiis diſtricti, nec convictorum rationibus ſubducendis & conſolidandis occupati, nec villaticarum rerum adminiſtratione impediti. An ergo erit, ut quod eis temporis ſuperfluet, alibi quàm in Choro conſumtum Deique laudibus tributum malint?

XVIII. Hoc conſequentur, ut & Homines & Viri exiſtimentur, qui ipſi corpus ſuũ procurare, & labores ferre, pedibus iter facere, & frigus æſtumque tolerare, deliciis verò vitæque commoditatibus æquo animo carere poſſint: quod contra nunc fieri Mariana cap. 5. conqueritur, ob pravam & menti S. Ignatij ac Societatis legibus adverſam Novitiorum educandi rationem: cui acceptum refert, quod *Ieſuitæ nunquam diſcant eſſe homines, ac propterea non aliter, quàm beſtias,*

ab aliis curari neceſſe habeant.

XVIIII. Morbis ex otio, deliciis ac vitâ deſide oriri ſolitis minùs infeſtabuntur, ac diutiùs vitales erunt. Vt enim eodem capite quinto Mariana affirmat, *multi Ieſuitarum diu multumque comedunt, nec tamen quicquam operis faciunt, nec ulli eorum ægrotant aut moriuntur, quia nimium laboraverint, ſed quia ſe cibis intemperantiùs repleverint ac delicatè nimis & in otio vixerint.*

XX. Dabunt voci ſuæ vocem virtutis multoque erunt ἐμπιςότεροι ac fide digniores, cùm à vitiis, præcipueque ab avaritia & ab Hæreſi revocare homines, eisque liberalitatem, juſtitiam, paupertatis ſtudium & fidei Catholicæ veritatem perſuadere conabuntur. Paulus quidem Apoſtolus quâ potiſſimum arte gentiles ad amplectendam Chriſti doctrinam impellere ſoleret, hoc modo explicat, 1. Theſ. 2. & 2. Theſ. 3. & 1. Corint. 9. *Scitis introitum noſtrum ad vos, quia non inanis fuit, ſed antè paſſi & contumeliis affecti fiduciam habuimus in Deo noſtro loqui ad vos Evangelium Dei. Non quaſi hominibus placentes loquimur, ſed Deo, qui probat corda noſtra. Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis: neque in occaſione avaritiæ. Deus teſtis eſt: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis neque ab aliis. Cùm poſſemus vobis oneri eſſe, ut Chriſti*

Apoſtoli. (Id eſt , cùm poſſem ſtipendium à vobis exigere,ad me ipſum eoſque qui mihi miniſtrant alendos,quod Petrus,Iacobus, & cæteri Apoſtoli faciunt) *tamen non uſi ſumus hac poteſtate, neque gratis panem manducavimus ab aliquo ,ſed in labore , & infatigatione nocte & die operantes ,ne quem veſtrûm gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei. Non quaſi non habuerimus poteſtatem* alimenta à vobis exigendi, *ſed ne quod offendiculum demus Euãgelio Chriſti,& ut nosmetipſos formam demus vobis ad imitandum nos.* Hæc eadem ſi de ſe Ieſuitæ verè profiteri poterunt , pro exploratiſſimo haberi debet,nullo genere minorem ab eis, quàm ab ipſo Paulo , Dei gloriæ ſalutique animarum operam navatum iri. *Sermo quippe & prædicatio Pauli non fuit in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis*, 1.Cor.2. Reliqui etiam Apoſtoli *virtute magnâ teſtimonium reddebant Chriſto,& gratia magna erat in illis*,quia ex tanto auro & argento ad pedes eorum à fidelibus depoſito eorumq; ditioni ac nutui permiſſo , *nemo eorum aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed inde dividebant ſingulis prout cuique opus erat.* Act.4. Quis tandem Principum eſt quantumcumque Ieſuitas amet , cui non riſum erumpere neceſſe ſit , ſi hodie Ieſuitas Apoſtoli verbis de ſe profitentes audiat ? *Non*

quaſi

quaſi hominibus placentes loquimur, nec fuimus aliquando in ſermone adulationis, ſicut ſcitis: neque in occaſione avaritiæ, Deus eſt teſtis. Vt enim de Avaritia dicere prætermittam, cujus occaſionem nullam nec minimam eis effluere Deus teſtis eſt, & mundus novit univerſus: Adulationum nemo magis, quàm ipſi Principes eis eſt conſcius. Nec enim in privatis modò ſermonibus curæ habent exquiſitiſſimo aſſentationis genere Principes demereri, ſed in ipſis quoque ſacris concionibus & ſcenicis actionibus in laudes præſentium effundi non dubitant, & quoniam voci ſuæ diffidunt, nec linguas ſuas adulatoris partes ſatis peragere credunt, in partem vocantur parietes, columnæ & periſtylia, & elogiorum laudationumque nulla fronte in Principes congeſtarum implentur. Atque hoc in Societate eſt epidemium, ſolenne ac pervulgatum, nec ullus terrarum locus eſt, ubi domicilium habent Ieſuitæ, quin fœdiſſimatum id genus adulationum anniverſaria ſpecimina videat. Itaque cùm Ieſuitarum, tum Principum noſtræ ętatis exemplo fides fit, minimè vana eſſe, quæ à Seneca ſcripta legimus. *Illud præcipuè impedit, quod citò nobis placemus. Si invenimus qui nos bonos viros dicat, qui prudentes, qui ſanctos, agnoſcimus. Nec ſumus modicâ laudatione contenti. Quicquid in nos adu-*

latio ſine pudore congeſsit, tanquam debitum pendimus. Optimos nos eſſe, ſapientiſsimos affirmantibus aſſentimur, cùm ſciamus illos ſæpè mentiri. Apertis & propitiis auribus adulatio recipitur, & in præcordia ima deſcendit, eo ipſo gratioſa, quo lædit. Non eſt, quod nos magis alienâ judices adulatione perire, quàm noſtrâ. Quis ſibi verum dicere auſus eſt? quis non inter laudantium blandientiumque poſitus greges, plurimum tamen ſibi ipſe aſſentatus eſt? Adulatoribus ergo latus ne præbeas. Artifices ſunt ad captandos ſuperiores. Par illis, etiam ſi benè caveris, non eris. Habent hoc in ſe naturale blanditiæ: etiam cùm rejiciuntur placent: ſæpe excluſæ, noviſsimè recipiuntur. Hoc enim ipſum imputant, quòd repelluntur, & ſubigi ne contumeliâ quidem poſſunt. Alius adulatione clam utetur, parcè: alius ex aperto palàm, ruſticitate ſimulatâ, quaſi ſimplicitas illa, non ars ſit. Plancus artifex maximus aiebat, non eſſe occultè, nec ex diſsimulato blandiendum. Plurimum adulator cùm deprehenſus eſt, proficit: plus etiamnum ſi objurgatus eſt, ſi erubuit. Adulationi opponimus, non claudimus oſtium, & quidem ſic, quemadmodum opponi amicæ ſolet: quæ ſi impulit, grata eſt: gratior, ſi effregit. Quo apertior eſt adulatio, quo improbior, quo magis frontem perfricuit, hoc citiùs expugnat. Eò enim jam dementiæ venimus, ut qui parcè adulatur, pro maligno ſit. Iam ſi quis certò ſcire velit, gloriam ne ab hominibus Ieſuitæ quærant,

rant, experimento capto id ei diſcere licebit. Accedat ad eos, narretque auditum ſibi virum quendam doctum, qui præ ſe ferre non dubitet, non omnes omnium Ieſuitarum actiones ſibi placere, neque rectè atque ordine ab illis fieri, quod bonorum auctorum libris ſuis auditoribus interdicant, & linguam Latinam diſcere aventibus ſuos *Gallutios, Stradas, Maffeios, Pontanos*, ejuſdemque farinæ alios, nihilo quovis nummo novo meliores obtrudant. Statim, ſat ſcio, velut gravi acceptâ injuriâ totis irarum habenis in illum, quisquis erit, debacchabuntur, & *aſinum ſtipitem, illiteratum, Societatis hoſtem, meritoque de Hæreſi ſuſpectum* dicent. Adeò illis gloria ſua & popularis de ſe exiſtimatio cordi eſt, ut præ illa nihil jam modeſtiæ, nihil humilitatis, nihil patientiæ, nihil denique præclari illius præcepti ac promiſſi ſui meminiſſe poſſint, quo ſeſe cùm in Societatem Ieſu admitti peterent, obligarunt. Chriſti ſcilicet verbum eſt. Pſalm. 68. *Improperium exſpectavit cor meum & miſeriam*: de quo & Propheta Thren. 3. *Saturabitur opprobriis*. Hic Socios & diſcipulos ſuos in prima admiſſione hoc præcepto imbuit: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*, hoc eſt imitamini quod in me videtis, eſurite opprobria, exſpectate improperia, utque ab omnibus con-

temnamini, irrideamini, proque fatuis, inſipientibus & indoctis habeamini, in votis habete. *Hoc jugum* eſt *meum*, quod à vobis cervicibus veſtris tolli, *hoc onus*, quod humeris impoſitum portari, hæc denique varia ſeu verſicoloria veſtis & *Livrea* mea, ex qua familiæ meæ domeſticos cognoſci, & ab iis, qui de Mundi cohorte ſunt internoſci volo. Itaque S. Ignatius in Examine generali eorum, qui Ieſuitę fieri cupiunt cap. 4. eos, qui examinantur docet, *diligenter animadvertere oportere, magnificando ſummique momenti id eſſe ducendo in conſpectu creatoris noſtri, quantopere juvet ad vitæ ſpiritualis profectum, non ex parte tantùm, ſed omninò abhorrere ab omnibus, quæ mundus amat, & amplectitur, & admittere ac totis viribus concupiſcere, quicquid Chriſtus amavit & amplexus eſt. Vt enim mundani homines diligunt & quærunt honores, famam, magni nominis exiſtimationem in terra, ſicut Mundus eos edocet: ſic qui ſeriò Chriſtum amant, ardenter exoptant iis contraria, indui nimirum eâdem veſte & inſignibus Domini ſui pro ipſius amore, adeò ut ſi ſine offenſione ulla Dei & abſque proximi peccato foret, vellent contumelias, falſa teſtimonia & injurias pati, ac ſtulti haberi (nullâ tamen ad id per eos datâ occaſione) eo quod exoptant aſſimilari & imitari aliquo modo Chriſtum, ejuſque veſtibus & inſignibus indui, quandoquidem ille ipſe propter majorem*

jorem profectum noſtrum ſpiritualem induit, nobisque exemplum dedit, ut in omnibus eum imitari & ſequi velimus. Examinandus proinde interrogetur, an decreverit paratuſque ſit injurias, illuſiones, & opprobria in Chriſti Livrea ſiue *inſignibus incluſa, quæ ei inferentur per quemvis viventium admittere & patienter ferre, nullique malum pro malo, ſed bonum pro malo reddere.* Hoc ipſum in libro, qui *Regulas Societatis Ieſu* complectitur, capite undecimo *Summarij Conſtitutionum*, ab omnibus Ieſuitis obſervandum præcipitur: & *Alfonſus Rodriguez* parte ſecundâ de perfectionis & virtutis Chriſtianæ exercitio, eos qui hanc regulam non examuſſim obſervant, negat eſſe verè Religioſos, neque Ieſuitarum præter nomen quicquam habere. Quotusquiſque verò Ieſuita hanc inſignem familiæ Ieſu veſtem nō projicit, omneque contemtus genus non toto pectore averſatur? Scilicet omni vi perſuaſum omnibus volunt, Ieſuitas omnes eſſe ſanctos, eſſe inculpabiles, eſſe literarum, omnisque doctrinæ ac ſapientiæ principes: qui verò aut Ieſuitæ non ſint, aut in ſcholis eorum docti non fuerint, eſſe vilia ac plebeia capita, frivolos minimæque rei homunciones. His vocibus aures Ieſuiticorum diſcipulorum quotidie perſonant, eoque fit, ut illi vel maximi nominis in literis viros pror-

ſus ignorent ac neque de nomine noverint, quamvis eos ipſe Pontifex, Imperator Reges ac Principes doctrinæ virtutisque laudibus ad cœlum uſque extollere ſoleant. Quia ſcilicet mundum amant Ieſuitæ, eaque quæ in mundo ſunt, præcipueque quia opes ab hominibus in Collegia ſua certatim congeri exoptant, ſuâ plurimùm intereſſe arbitrantur, ita perſuaſum eſſe hominibus, nemini pietatem, virtutes aut literas poſſe contingere, niſi Ieſuitis utatur Magiſtris. Itaque ſi quos per vias Ieſuitas incedentes videas, *modeſtiam vultus ac maturitatem inceſſus* nequaquam requiras, atque adeò ex ſubducto illo ſupercilio, ex vultu multa ac præclara minante, ex ſumma deniquè eorum accuratione, ut ne veſtigia quidem pedum extra menſuram aberrent, Socratem tibi, vel dicam Divorum aliquem, Hieronymum putà, Auguſtinum vel Ambroſium, videre videaris. At eoſdem ſi vel diſcipuli, vel quivis alius paulò familiarior domi conveniat, ac vel ſolœciſmi aliquid magnum ac ſpectatum virum in aliquo Ieſuitarum notaſſe renunciet, ibi eos nihil quovis foſſore aut caprimulgo intereſſe, omnique maledictorum genere in eum invehi admireris, prorſus ut ſi quicquam erroris in ullo Ieſuita reprehendere id ſit grande nefas admittere, ac paulò
minùs

minùs quàm divinam Majeſtatem minuere. Hic enimverò aures obſurdeſcunt ad monitum vel præceptum illud, quod in ſummario Conſtitutionum 29. loco ejus inſtillatur, *ut veram humilitatem in maturitate motuum omnium ſine ullo impatientiæ aut ſuperbiæ ſigno exhibeant.* Verè igitur qui tantâ laborant impatientiâ, nihilo tamen minùs de familia Ieſu videri poſtulant, *ſimiles ſunt ſepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum & omni ſpurcitiâ. Sic & illi à foris quidem parent hominibus,* animo maximè compoſiti, mites & humiles corde, *intus autem ſunt pleni hypocriſi*, impatientiâ & regio prorſus ſpiritu, ut ſe iis quoque quos graviſſimè priores læſerunt, inviolatos eſſe debere judicent, ſibique licentiam dari velint in alterum, in ſe nolint alteri. Adeò *radix omnium malorum* etiam κενοδοξίας glorioſæque inanis, *eſt cupiditas. Nam qui volunt divites fieri,* & ſupervacua, ſive ſuo proprio, ſive communi nomine poſſidere, *incidunt in tentationem & laqueum Diaboli & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum*, ut Apoſtolus docet 1. Tim. 6. Qui ergo Principum ex animo Ieſuitis factum volunt, ſuâ pietate dignum fecerint, ſi ſummâ nitantur ope, ut iſtam tantorum malorum radicem præcidant, & ſuperuacuorum cupidi-

tate Ieſuitas liberent, auctoritate ſuâ interpoſitâ facientes, ut habeant illi, quæcumque eis ad vitam & ad operam Eccleſiæ navandam ſunt neceſſaria, neque quicquam præterea eleemoſynarum ſuis Collegiis neque petere, neque accipere eis fas ſit. Ita non erit eis periculum, ne incidant in tentationem & laqueum diaboli, neu deſideria eos ſua multa & nociva mergant in interitum.

Reliquum eſt, ut de Ambitione ſimiliter videamus, quo ea modo à Societate excludi proculque haberi poſſit. Ambitio verò vel Præpoſiti Generalis eſt, vel Sociorum, exemplo Præpoſiti ſui peccantium. Illa eſt latiſſimè imperandi cupiditas, ut ſcilicet omnes Societatis homines de ſe pendentes nutumque ſuum obſervantes videat, extra Societatem verò optimum & maximum quēque ſibi obnoxium ac propè devotum habeat. *In multitudine* ſcilicet *populi* ſubjecti eſt *dignitas Regis*, *& in paucitate plebis ignominia Principis*, ut Proverb. 14. affirmat Salomo. Alios etiam libentiſſimè imperia ſua excipiētes, ac ſimul vel innuerit ipſe, vel increpuerit digitis, agillimè ad jubendum occurrere, & juſſa capeſſere paratos intueri, hoc enim verò eſt diviſum cum Iove imperium obtinere, ac paulò minùs eſſe, quàm præſentem Deum. Hujus porrò immenſæ & infinitæ

ſuæ

ſuæ Ambitionis dominandique libidinis illuſtriſſimum nuper documentum dedit, cũ per Societatis ſuæ Patres ab Imperatore cõtendit, ut omni jure Carolinæ Academiæ Regni Bohemici in Pragenſe Ieſuitarum Collegium auctoritate regiâ tranſlato, ſuum Archiepiſcopo Cardinali ab Harrach jus eriperet, & alicui Ieſuitæ, quemcumque Patriarcha ſuus ei Collegio Rectorem præfeciſſet, omnes Regni Scholaſticos, tam diſcipulos, quàm Magiſtros, tum Bibliopolas & Librarios ac Typographos, hoc eſt quaſi dimidiam regni partem ſubjiceret: etſi Cæſarem eo facto piacularem futurum, inque ſanctionem, quæ *Bulla Cœnæ Domini* dicitur, graviſſimè peccaturum minimè ignoraret, qua de re ipſius Cardinalis Archiepiſcopi libellus videri poteſt qui ad immanẽ illius audaciam demonſtrandam ſufficit. Socij verò, quos idem cacoëthes tenet, ſe Magnatum amicitiâ ac familiaritate florere, multumque in Aulis præcipuè Principum, gratiâ & auctoritate poſſe, magni negotia momenti ſuæ prudentiæ ac fidei à Principibus committi, nec minimum clientibus ſuis procurationes ſive officia, aut dignitates & honores ambientibus præſidium in ipſis eſſe gaudent. De quo Ambitionis genere audire eſt operæ pretium, quid ipſe P. Claudius Aqua-

viva in ſuo *Induſtriarum* libro *de curandis Ieſuitarum morbis* anno 1615. Romę edito cap. 15. judicarit.

Sæcularitas (inquit) *& Aulicismus inſinuans in familiaritates & gratiam externorū, Morbus eſt in Societate & intra & extra periculoſus, & iſtis qui eum patiuntur, & Nobis ferè neſcientibus paulatim ſubintrat, ſpecie quidem lucrifaciendi Principes, Prælatos, Magnates, Conciliandi ad divinum obſequium hujusmodi homines Societati, juvandi proximos &c. Sed revera quærimus interdum Nòs ipſos, & paulatim ad ſæcularia deflectimus.*

Similiter *Inſtructionis pro Superioribus*, libri eodem tempore locoque editi cap. 1. ſic eundem morbum deſcribit:

Eſt & alia malorum radix longè periculoſiſſima, eoque periculoſior, quo minùs vulgo noxia cenſeri ſolet, rerum ſcilicet externarum occupatio, in quam Superiores ferri VT PLVRIMVM, *ac variis nominibus ſupra modum effundi ſolent. Sunt enim qui naturæ quadam propenſione ad diſtractiones proni, non ſolùm oblatas occaſiones cupidè arripiunt, ut operam ſuam impendant, ſed eas ipſimet ultrò quærunt, & naſci quodammodo ac ſuccreſcere faciunt. Alij per ſpeciem proximos lucrifaciendi, multis ſeſe viſitationibus* (ſeu Principum, Magnatum & divitum congreſſibus) *implicant, iiſque*

iiſque non modò non neceſſariis, ſed parum etiam utilibus, atque in his ita verſantur, ut à ſæcularium moribus parum abſcedant.

Quanti porrò quævis Ambitio ſit periculi, quamque præſens Societati exitium portendat; in *Conſtitutionum Societatis* libro parte decimâ hoc modo ſignificatur.

Erit ſummi momenti, ut perpetuò felix Societatis Status conſervetur, diligentiſſimè Ambitionem, malorum omnium in quavis Repub. vel Congregatione matrem, ſubmovere.

Et in libro *Inſtructionum ad Superiores Societatis* Inſtruct.14.cap.7.

Præcidantur initiò iſtæ familiaritates cum Principibus, antequam adoleſcant & radices agant, quæ Societati noſtræ niſi fortiter obſiſtamus, graviter minitantur, præſertim cùm Superiores connivent.

Et in eo, qui *Regulas Societatis* complectitur, regularum communium regulâ 41.

Sæcularia negotia, ut quæ ſunt à noſtro inſtituto aliena & vehementer à ſpiritualibus averſant, averſari convenit.

De ipſa verò Patris Generalis Ambitione Pater Mariana libri ſui de Regimine Societatis cap.10. ex profeſſo diſputat, & à gravi querela hoc modo incipit.

Pervenimus nunc ad fontem & originem noſtrarum turbarum ac moleſtiarum, quas in

Societate experimur. Singularis ferus depaſtus eſt eam. Monarchia iſta, meâ ſententiâ, nos humi affligit ac proſternit, non quia ſit Monarchia, ſed quia non ſit bene temperata. Hæc enimverò bellua eſt, quæ quicquid attigit, populatur ac vaſtat. Quam niſi vinculis compeſcamus, non eſt, quod ullam nobis quietem polliceamur, &c. Et ſi leges habemus, eaſque plures numero, quã neceſſe ſit, Generalis tamen nihil in gubernatione leges moratur, neque in dandis officiis, neque in admittendo Socios ad profeſſionem, neque in conſtituendis Collegiis, neque innumeris in rebus aliis. Nam ſi leges ſint, ille in omnibus, aut propè in omnibus diſpenſandi ac legibus quem libeat ſolvendi auctoritate utitur. Cumque Monarcha, niſi Tyrannidem exercere velit, de rebus ſingularibus ac temporariis, nihil niſi de Conſilij ſententia facere debeat; commiſeratione dignum eſt, de quo paſſim querelæ audiuntur, quod res omnes in unaquaque provincia pro eo adminiſtrentur ac Provincialis, itemque alter ac tertius ſcribunt, quos ſibi Generalis novit fidos & obnoxios, reliquorum verò nulla ducitur ratio, etſi omni ex parte multùm illis preſtent.

Et capite proximo diſtinctè mala omnia exſequitur, quæ ex Pambaſilia, ſive abſoluta nullisque legum vinculis adſtricta Generalis eique ſimilium Provincialium præpoſitorum

torum imperij formâ naſcuntur: quorum præcipua ſunt, quòd minùs juſtitię ſit in præmiis ac pœnis pro cuiuſque merito tribuendis, quàm in quavis Latronum ac ſicariorum ſocietate: quòd excellens virtus aut doctrina ad honores ac munera impedimento ſit; ac vel odium, vel contẽtum inveniat: quòd atrocia eorum, qui præſunt, ſeu Superiorum delicta impunita maneant, non parum ſæpe etiam iis ad majores dignitates ſuffragentur: quòd vectigalia Societatis ex piorum hominum eleemoſynis conflata Superiorum ſive temeritate & imperitiâ, ſive infidelitate ac fraude dilapidentur, corrumpantur, aut alienentur: quòd præclariſſima ingenia, quæ alioqui utiliſſimam Reipub. operam navare potuiſſent, in Societatem recepta ſine ullo ferè operæ pretio in ea deſideant, nec ſolùm in quovis diſciplinarum genere parum proficiant; ſed etiam in virtutis amore relangueſcant: quòd quicumque ſaluti & incolumitati ſuæ conſultum volunt, aut ad procurationes & officia adſpirant, Superiorum gratiam vel aſſentationibus, vel deferendis Sociorum nominibus colligere neceſſe habeant: quòd denique multi innocentes Dei famuli injuſtè affligantur, proſtrati ſuſque etiam in Societate interficiantur: cujus rei cùm ingens ſit atrocitas, quæ non te-

merè fidem inventura videatur, cumque Hetruſcus interpres vitioſum nactus codicem minùs rectè (item ut in multis aliis) Marianæ verba converterit, totum illum locum capitis XIV. ex Hiſpanico exemplari recitari placet.

Es coſa miſerable, que por nueſtros peccados muchas veces ſe hace el contrario de toto eſto: que los buenos ò ſin cauſa, ò por coſas ligeras ſon affligidos, y aun MUERTOS, *por penſar, que no hablaran, ni reſiſtitan: de que ſe podrian poner la ſtimoſos exemplos: y los ruines ſon ſobre lleuados, porque les tienen miedo, que es eſtat el govierno mal trazado y ſin niervos. Punto que ſolo baſta, para que Dios hunda la compagnia. Yo ſiempre he traydo delante de los ojos, que Dios nos affligepor diſguſtos, y afrentas, y agravios, que à ſus ſiervos en la compania (aun que con buena intencion) ſe han hecho indevidamente: pues à ſu bondad pertenece boluer por los ſuyos, y vengarlos de quien con qualqüier color los affligiere contra razon.*

Id eſt:

Miſerrimum eſt, quòd propter peccata noſtra plerumque contra fit, ac fieri oportebat. Boni enim aut ſine ulla cauſa, aut ſaltem levi de cauſa affliguntur, atque etiam interficiuntur, quòd non videantur oblocutari, nec reſtituri, cujus rei luctuoſa afferri poſſent exempla: Improbi viciſ-

viciſſim tolerantur, eo quòd metuiſint. (*Hoc eſt*, ſe defenſuri multaque aliorum delicta propalaturi videantur.) *Hoc enimverò eſt vitioſam eſſe ac ſine nervis reginiinis noſtri formam: quo quidem uno in capite ſatis cauſæ eſt; cur Deus Societatem funditus ſubmergat. Mihi ſemper ob oculos obverſatur; nos à Deo plecti propter moleſtias, injurias & vexationes, quæ ſervis ejus (bono quamvis animo) in Societate immeritò obvenerunt; eosque ulciſcatur, qui nulla cum ratione quocumque colore eos afflixerint.*

Cùm ergo tam ingentium in Societate malorum cauſam Ambitio ſuſtineat, omnibus ſalutem & conſervationem Societatis cordi habentibus meritò gratiſſimum debet accidere, ſi quis nihil ad diligentiam faciat reliqui, ut peſtem iſtam longiſſimè à Societate ſubmoveat, omnemque ei reditum in poſteritatem præcludat. Ejus autem rei facillimam idem P. Mariana rationem commonſtrat, ſi nimirum iſta Patris Generalis Monarchia Ariſtocratici imperij mixtione temperetur. Quod quidem futurum judicat, ſi quatuor leges perpetuum duraturæ in Societate figantur. Tanquam.

1. Generalis Societatis Præpoſitus legibus ſit devinctus, ut & ipſe eas obſervet, nec quemquam ſine Provincialium conven-

tuum conſilio iis ſolvere, ſeu cum quoquam diſpenſare poſſit.

II. Conventus ſeu Congregationes Generales ſtatis temporibus habeantur,& loco omnibus nationibus commodiore.

III. In Conventibus generalibus adminiſtrationis ſuæ rationes Præpoſitus Generalis reddere, eorumque decretis parere neceſſe habeat.

IV. Conventus Provinciales, vel certè Præpoſiti provinciales unà cum optionibus ſive Aſſiſtentibus (quos provinciarum ſingularum cœtus ſuis ſuffragiis elegerit,& Pater Generalis confirmaverit) jus habeant Rectores,Procuratores, Miniſtros, aliosque officiales conſtituendi, & abigendi, Sociorum,quos velint ad profeſſionem admittendi, peccantes puniendi, in ſcholis & Eccleſiis docendi munus dandi & adimendi,quos & quò velint ablegandi, omnia denique illa faciendi, quæ certam & diſtinctam rerum ſingularium,& perſonarum notitiam requirunt, neque tantùm moræ ferunt, ut de iis Romam referatur, indeque reſponſum exſpectetur.

In iſtis legibus nihil prorſus iniqui eſſe cùm diſtinctè ac ſigillatim Mariana demõſtrat, tum omnes æqui ac prudentes exiſtimatores ſuâ ſponte intelligunt. Quàm multiplex

tiplex porrò ex iſta nomotheſia exſpectanda ſit utilitas, vel ex iis, quæ ſubjiciam, perſpicuum evadet.

I. Omnes, qui in Societate vivunt, æquis erunt animis. Superiores enim ſeu Prælatos ipſi poſthac eligent: quoties velint convenient, in proximo conventu aut mutabunt, aut reficient, iis penitius noti erunt, & ſi quid ſit, quod eos urat, ſpe propinquæ mutationis ſe ſuſtentabunt.

II. Multò plures Societas habebit in omni diſciplinarum genere eminentes. Videbunt enim literis eſſe pretium, nec (ut adhuc fieri ſolitum Mariana queritur) quo quisque eſt doctior, eo ad procurationes & officia minùs idoneum exiſtimari.

III. Multorum virtus magis erit conſpicua, & cùm Societatem, tum totam Eccleſiam exornabit. Electio quippe Superiorum penes eos erit, qui ſuâ intereſſe cenſent, ſe optimo cuique ſubjectos eſſe, nec eis aliena virtus formidoloſa eſt: quod contra nunc uſuvenire Mariana quiritatur, ut quorum eſt officia diſtribuere, iis boni, quàm mali, ſuſpectiores ſint.

IV. Non erunt in Societate Adulatores, ſublatâ cauſâ cur quiſquam eorum, qui præſunt, gratiam aſſentatione colligere conetur. Officiorum enim conſequendi ſpes iis

tantùm relinquetur, quos provinciales Socij multorum annorum uſu ad ea maximè idoneos compererint.

V. Exploratores, delatores, ſycophantæ, deterrimum genus hominum, à Societate poſthac exſulabunt, quippe in qua nemo erit, qui ſuâ intereſſe putet, ſibi ſingulorum ingenium, proclivitates ad vitia, & occultiora peccata noteſcere. Præpoſiti enim provinciales cum ſuis Aſſiſtentibus multorum annorum contubernio provinciæ ſuæ ſodales ita pernoſſe poterunt, ut de illis potiùs aliorum delationi, quàm ſuæ ipſorum experientiæ credere nequaquam debeant. Generalis verò Præpoſitus ſatis habebit, ſi de majoris tantùm momenti rebus provincialium conventuum relatione, aut ſaltem ab iis Sociorum, quorum fides & integritas ſatis ſpectata ſit, ſubinde doceatur.

VI. Nullum erit periculum, ne officia Societatis fiant vænalia: quo quidem periculo Societatem hoc tempore minimè vacare in libri ſui Epilogo Mariana ſignificat. *Multa* enim *ex Collegiis munera Romam ſubinde mitti, quorum numerus uſque eò multiplicari poſſit, ut ad officia pretio paranda ſatis ſint.*

VII. Societatis vectigalia majori cum fide, integritate ac prudentia adminiſtrabuntur, quàm adhuc fieri ſolere ex Mariana

cogno-

cognoſcimus. Ait enim cap.8. *Superiores imperium habere nimis abſolutum & independens, ac quicquid cuique libeat facere. Quod alter ædificavit, ab altero dirui, quod alter plantaverat, alterum evellere, eâque re maximarum impenſarum minimè neceſſariarum cauſam præberi: nec etiam bonâ fide impenſarum rationes exigi, & quamvis exigi ſolerent, ſi quis tamen Rector aut Procurator minùs fidelis ſit, magnas eum ſummas pecuniarum dilapidare poſſe.* Et cap.14. queritur *Provinciales ac Rectores, ſi vel graviſſimè peccent, violando regulam ac ſtatuta, ædificando & diruendo ſine ulla neceſſitate ac nemine conſulto, dilapidando facultates Societatis, aut largiendo conſanguineis, non niſi poſt multos demum annos puniri, ſed non aliâ pœnâ, quàm ut eis abrogetur officium, quod geſſerunt, dato plerumque alio meliori.* Poſthac nihil horum uſuveniet, ſi Superiorum poteſtas ſit legibus adſtrictior, neque eis ſine conventuum provincialium conſenſu quicquid libuerit facere liceat.

VIII. Societas poſthac ære alieno non ſic obruetur, ut nunc fieri Mariana cap.8. queritur. *In ſola* enim *Provincia Toletana plusquam ducenta quinquaginta ducatorum millia alieni æris eſſe, eaque id fieri quod facere Ieſuitæ negligant, id quod aliis ſuadent & præcipiunt, ut nimirum reditus ſuos metiantur, nec plus expendant, quàm poſſident.* Et cap.15. univerſè om-

nes Ieſuitas ſumtuoſos eſſe totidem verbis fatetur: *la gente de la Compañia es tan amiga de gaſtar, los grandes y los chicos, que non ſe como en eſte non ſe repara.* Id eſt, *Societatis homines à minimo uſq; ad maximum tam ſunt propenſi ad expendendas pecunias, ut neſciam quî fiat, quod malo non adhibetur remedium.* A Superioribus ſcilicet ſumtuum factorum rationes non exiguntur, eaque res eos in faciendis impenſis reddit animoſos. Alij porrò eorum exemplo depravantur, ut ſe pauperes eſſe ac peccata populi comedere, ſive eleemoſynis victitare, parum meminerint.

IX. Nulli poſthac impunè erit deliquiſſe, neque quemquam vel Superiorum gratia ac favor, vel mutua peccatorum conſcientia ac diſſimulatio commeritæ pœnæ eximet, velut quotidie uſuvenire, nulliusque Superioris ob graviſſimas culpas multati exemplum exſtare ſæpius Mariana dolentiſſimeque expoſtulat.

X. Nulli bono & innocenti vel leviſſimæ injuriæ, ne dum capitis diſcrimen à Superiorum impotentia imminebit. Conventus enim provincialis erit τῶν εὐθυνῶν κύριος, hoc eſt, geſti officij rationes à Superioribus repoſcet, factasque innoxiis injurias vindicabit.

XI. Non ſic mutuò alter alterius hono-

rem

rem depeculabuntur, ut nunc faciunt Marianâ teſte, cujus cap.13.verba ſunt: *Yo oſaria aſegurar, que ſi los Archivos de Roma ſe deſembueluen, que no ſe hallarà uno ſolo, que ſea hombre de bien.* Id eſt, *Liquidò aſſeverare auſim, ſi Romæ Patris Generalis ſcrinia evolvantur, ne unum quidem ſolum Ieſuitam inventum iri, qui ſit vir bonus.* Quid nunc externos de ipſis exiſtimare volunt, ſi ipſi inter ſe mutuò ſe tabulis conſignatis & Romam miſſis teſtantur eſſe improbos & inteſtabiles?

XII. Errores ſi qui ſunt tam in docendo, quàm in vivendo, Provincialium convẽtuum intelligentiâ animadvertentur & auctoritate corrigentur: quod contrà qui nunc rerum potiuntur, Marianâ teſtante, ſunt & rerum & literarum imperiti, ex eoque confidentes, qui monere ſe aſperrimè patiuntur, ſuamque ac Societatis univerſæ exiſtimationem in eo verti putant, ſi quid credatur in Societate minùs rectè fieri, ſeque alieno vel exemplo, vel monito indigentes videri. Hac de re Mariana videri poteſt cap. 1. & 2. & 6.

XIII. Generalis Præpoſitus Societatis minùs poſthac negotiis obruetur, abdicatâ curâ rerum ſingularium, quarum notitia explorata, rectæque adminiſtrationi neceſſaria, ex longinquo haberi non poteſt, cùm

aliter atque aliter iiſdem de rebus ſcribi ad eum ſoleat, pro eo ac quiſque gratiâ aut odio impellitur, aut etiam in deſcribendis actionum alterius attributis ſeu circumſtantiis aut fallitur aut fallere conatur.

XIV. Liberabitur idem Generalis moleſtiſſimâ multa abſorbendi ac diſſimulandi neceſſitate, dum veretur eos offendere ſibique infeſtos reddere, qui auctoritate pollent,& aſſeclis adſcitis Societatem in ſtudia factioneſque diducere,aut Principum favore ſubnixi Romam provocare,ibique occulta dedecoris manifeſtare, & invidiam Generali conflare multiplexq; negotium exhibere poſſunt. Quod quemdam Valliſoleti Ieſuitam feciſſe Mariana cap.4. narrat,ubi etiam monet,*Valde debilem eſſe Generalis potentiam,ſimul ac reſpectum & auctoritatem apud Socios amiſerit,cùm multæ ſint rationes,quibus ei reſiſti & cuniculi adverſus eum agi poßint.*

XV. Nemini Sociorum inviſum erit Generalis imperium, ſi non illius, ſed Provincialium conventuum auctoritate ea, quæ aliquid habent odij, adminiſtrari viderint,de quibus agit Mariana cap.16.

XVI. Non præbebitur mala ſpecies,nec offenſæ ac ſcandali occaſio, quæ vitari non poteſt, ſi Superioribus nulla legum cura ſit, cùm eas non ſecus ac telas aranearum per-

rum-

ſumpunt ac libidine ſuâ pro ratione utuntur. Marianæ verba ſunt cap. 19. *In omnibus ferè legibus diſpenſat non modò Generalis, ſed alij quoque Superiores.* Et cap. 15. *Quàm multæ conſtitutiones fuerunt mutatæ, & quidem (quod peius eſt) nulla cum auctoritate?* Quid tandem refert bonas ferri leges, ſi Superiores illæ non teneant; earumque vim jus fasque ſit Superioribus minuere? *Reges gentium dominantur eorum*, hoc eſt ex libidine ſua, non ex legum præſcripto eis imperant. *Vos autem non ſic.*

XVII. Externi longè pluris Societatem facient, in eamque admitti expetent, cùm leges in ea probè ſtabilitas eſſe, nihilque in eas Superioribus licere intellexerint.

XVIII. Longè ſtabilior ac diuturnior erit Societas ſublatis offenſarum, diſſidiorum ac factionum occaſionibus. Nec enim quiſquam erit, qui formam imperij mutari ſuâ intereſſe putet, quemadmodum adhuc factitatum Mariana paſſim teſtatur. Verba ejus in procemio ſunt: *In Societate tam multæ turbæ ac ſeditiones fuerunt excitatæ, ut miraculi ſimile ſit, inveniri aliquem, qui non fuerit illis implicatus.*

XIX. Nullum poſthac à ſæcularitate & Auliciſmo Societati erit periculum, cùm qui aulas, & Magnatum domos ſectantur, plusque negotiis ſæcularibus implicantur,

eo plerumque id faciant (ut cap.20.Mariana diſputat) quod ſe in Societate jacere nulloq; numero haberi intelligunt, ſibi etiam adverſus Superiorum injurias præſidium ac tutelam comparare ſtudent. In poſterum virtuti erit pretium, neque quiſquam à Superiore ſibi minùs æquo metuere neceſſe habebit.

XX. Principibus poſthac Ieſuitam à Confeſſionibus & domus ſuæ familiarẽ habere poſtulantibus minore negotio præcidetur, & ingens, quod iſtæ Principum familiaritates Societati comminantur, periculũ evitabitur, ſi Superiores ſibi quemquam legibus Societatis ſolvere integrum non eſſe, remque eam à Conventus generalis auctoritate pendere excuſaverint. Quam ad rem etſi ſatis videri debet, quod ſecundæ Congregationis Generalis Canone perſpicuè ſancitum eſt, *ne quiſquam* Ieſuita *Principibus aut Magnatibus, ſive Eccleſiaſticis, ſive ſæcularibus, aſſignetur, qui Aulas eorum ſequatur, & Confeſſarij, aut Theologi aut quovis alio munere fungatur*, quia tamen Principes interdum improbiùs contendunt, ac ne bimeſtri quidem Ieſuitæ alicujus contubernio contenti ſunt, parum omninò penſi habentes, quòd Chriſtum à Petro ter negatum ſciunt, qui tamen ſine controverſia & Religioſus, & de Societate Ieſu, & primus ejuſdẽ Societatis Præpoſitus gene-

generalis fuit, & non *duobus menſibus* (quod Ieſuitis idem Canon permittit) ſed vix duabus horis in Eccleſiaſtici Principis Aula deſederat: propterea præclaram Societati operam navaſſe cenſendus eſt Gaſpar Scioppius, cùm veram omnique injuſtitiâ & periculo vacuam capiendi & conſervandi idonei Confeſſarij rationem Principibus ſubjecit. Sic enim illi Societati moleſti eſſe deſinent, nec ut ſuâ cauſâ leges ejus migrentur, & agendis ad ſtatum ejus convellendum cuniculis occaſio præbeatur, poſtulare volent. Monitos autem Ieſuitas volo longè Conſultationem illam Scioppij fore πειστικωτέραν magiſque flexanimam, ſi & ipſi ſeriò connitantur, ſibique Aulas omnes, Principum amicitias, clientium officia, omnem denique, *beatæ Fumum & opes ſtrepitumque Romæ* in offenſu eſſe fidem omnibus faciant. Ita poterunt illi, quod homini Religioſo in primis votis eſſe debet, *ſub paupere tecto Reges & Regum vita præcurrere amicos.* Aliter parum moniti illius memores videbuntur, quod eſt Eccleſiaſtici cap. 32. *Ne credas te viæ laborioſæ, ne ponas animæ tuæ ſcandalum.*

Anno C. N. M. DC. XXXIV.
Mense Maio.

VIII.

DELICIARVM
IESVITICARVM SPECIMINA.

MInime temerarium eſt, quod Cardinalem Dietrichſtęnium Religioſis *Clericis Scholarum Piarum* Româ Niclaspurgum evocatis anno ſuperiore dixiſſe accepi, Ieſuitas quidem à ſe magnoperè contendiſſe, ut ſuâ potiùs, quàm Clericorum illorum operâ, in docenda Niclaspurgi juventute uti vellet, ſed ſe comperiſſe,illos nimis pretioſos eſſe operarios, cùm ſolę eorum ſcænicæ actiones quotannis non minùs quadringentis florenis ſibi auferant.Habemus enim ſummi & graviſſimi Ieſuitæ Iohannis Marianæ confeſſioné, Societatis ſuæ homines piorum hominum eleemoſynas non modò commoditatibus, ſed etiam deliciis ſuis expenſas facere conſueviſſe,ut verè ſua facere poſſint hæc Sene-

cæ verba: *Non neceſſitatibus tantùm noſtris proviſum eſt: uſque in delicias amamur.* Cæterùm de Deliciis Mariana in Epilogo libri ſui de Morbis Societatis ita loquitur: *Multæ ſunt noſtrorum recreationes, quæ alicubi multos menſes durant. Deliciæ nonnullorum ſunt nimiæ, eiſque nocent.* Hęc autem quàm vera ſint, etſi extraneis domeſtica Ieſuitarum negotia minùs patent (ſiquidem eodem Marianâ teſte cap. 14. *Totum Societatis regimen videtur hunc habere ſcopum, ut quæ malè in Societate fiunt, injectâ terrâ occultentur, & hominum notitiæ ſubtrahantur*) triplici nihilominùs documento planum facere poſſumus. Paſſim quippè voluptati, quæ partim ex Muſica, partim ex actione Scænica percipitur, Ieſuitæ indulgent: alicubi verò, ubi Principes plus habent obnoxios, ferarum quoque Venatione otium ſuum oblectare ſolent.

Quod ad primum voluptatis & Deliciarum genus attinet, vix quiſquam eſt, qui Ieſuitas ita Muſicè vitam agere neſciat, ut ad Symphoniam non modò in templis ſacra faciant, ſed etiam in Scholis diſputent, in Scęna Mimos agant, in triclinio deniquè cibos ſæpè capiant. Quod poſtremum ne cui inſolentiùs videatur, ejus exemplo uti libet, qui haud ſcio an omnes quot uſquam ſunt Ieſuitas multùm ætate ſuperet, in Italia quidem

certè nemo eſt, qui ante illum ſe infibulari & in Societatem adſcribi paſſus fuerit. Is eſt Bernardinus Caſtronius, an Caſtorius, Senis in Hetruria circiter octoginta octo abhinc annis ex utero materno avi ſiniſtrâ effuſus *per actum inſani Leonis, Sole dies referente ſiccos.* Quod eò tàm diſtinctè mihi commemore viſum eſt, ne quis hominem præcipuè iracundum eſſe, quotidieque vel leviſſimas ob cauſas in rabiem efferari, ex eoque alligandum videri admiretur. Hic ſe veterem ſi minùs Martyrij, ſaltem Patibuli Candidatum eſſe, terque paratum jam collo laqueum effugiſſe gloriatur: literis etiam ad ſummũ virum Iohannem Piſtorium datis ſic de ſe prædicare non dubitat: *Pro ſede Apoſtolica vincula & carceres paſſus quotidiè morior.* Societatis ſcilicet ſuæ Provincialem egit in Gallia; & domus Profeſſæ Præpoſitum Venetiis, quo tempore illinc Ieſuitæ publicè pulſi ſunt. Hoc illi meminiſſe quotidianæ mortis inſtar videtur. Sicut autem plerique Ieſuitæ operæ, quam Eccleſiæ navant, mercedem videntur in hac vita ſibi repræſentatam velle (nam quæ vlteriùs pertinent, in diem eſſe judicant, quod *de futuris contingentibus determinatam veritatem haberi* nõ poſſe docti ſint) ſimiliter & deſignatus hic Martyr noſter *manus oculatas habet, quæ credunt quod vident,*

adeo-

adeoque longum nimis ei videtur expectare, donec in cœleſti regia cum Senioribus illis Apocalypticis conſidere, ac felicitatis eorum particeps fieri poſſit, ſed præſens Divus fieri, & vivus videnſque eadem illa, quæ pro Chriſto morientes manent gaudia, perfrui poſtulat. Illi autem cùm Regno in alios potiuntur, tùm Symphoniâ aures oblectant, tandem ipſi quoque animi causâ cantillant. Sic enim Apoc. 5. de illis legimus: *Seniores ceciderunt coràm Agno, & cantabant canticum novum dicentes: Tu feciſti nos Reges & Sacerdotes, & regnabimus ſuper terram.* Et Apocal. 14. *Audivi vocem ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis. Et cantabant quaſi canticum novum ante Seniores & ante animalia.* Itaque & noſter hic *Senior bullâ digniſſimus* Regnum in Collegio Germanico Romæ obtinet, & *Regnator* ſive *Rector* audit, iſq; Perpetuus, quippe cui Ieſuitarum Patriarcha Collegium illud in omnem vitam commendarit, ſive in Commendam dederit, ejuſque libidini quoad vivet nec animam ebulliet permiſerit. Ditioni porrò ſubjectos habet illuſtres nobileſque plurimos Germanicæ juventutis, gradui ac dignitati Principum imperij propè maturos, ſuorum certè votis deſtinatos. Fructus Collegij, qui annua vicena aureorũ millia conficere creduntur, ex ſua libidine

diſpenſat, neque cuiquam niſi eidem Patriarchæ ſuo, hoc eſt, ſi verum quærimus, ſibi ipſi accepti expenſique rationes edit. Vinum potitat, præ quo nectar haud ſit nectar, ſaltem ejus Collegij alumnorum judicio, quos fatuo palato eſſe non temerè cuiquam ſano perſuadebitur. Pane veſcitur candidiore, quàm cerebrum Iovis. Carnes, piſces & reliquum obſonium quid cõnumerare attinet? Ipſe ſe, ſi vivat Apicius, aut Epulo dives ille, hoc victu minimè indelectari fateatur. Et adhuc jactare delirus ac minimi pretij ſenex audet, ſe vincula & carceres paſſum quotidiè pro Apoſtolica ſede mori? Sed eſt hæc una ex ſolennibus ejus cantilenis, quarum argumentum eſt, quid ipſe ſciat, quid egerit, quid paſſus ſit, quanta ſit ejus apud Põtificem alioſque Principes auctoritas, quanta potentia, quanta denique impudentia. Nam & iſtá in laudibus ſuis numerat quippe quâ ſe non ſemel pro ſapientia feliciter uſum meminerit. Ego (inquit apud alumnos ſibi commiſſos) nullius Cardinalium offenſam reveritus ad ipſum Pontificem quoties velim irrumpo, apud quem *ut non quicquid ſplendida bilis juſſerit* evomam, & *Acriter elatrem, pretium ætas altera ſordet*. Ego cui de eloquentia concedam habeo neminem, quippe qui ſeptem ipſos annos Rhetorica docuerim.

rim. Ipſi purpurati Præſules & Pontificum Nepotes ſæpè gratiam meam ambiunt, nec ſemper à me quòd volunt auferunt. Quid mihi Bambergenſis Epiſcopus literas ſcribere dubitat; quaſi non à multò majoribus Principibus familiariter ad me ſcribi ſoleat? Scriberet ſaltem Generali noſtro; qui tàm Princeps eſt, quàm ipſe. Iam duo vacuum in Germania Sacerdotium ambiunt, alter me ſuffragante, alter Imperatore. Videbimus nunc uter plus poſſit, ego an Imperator. Quid tu mihi literis Ferdinandi Archiducis moleſtus es, iiſque fretus in Collegium Germanicum admitti poſtulas? quid ego Archiducem moror? quem ne ipſum quidem, ſi petat, admiſerim. Non minùs tamen Cantorem probum ſe præbet, cùm quis Horarias preces recitanti intervenit quodque minùs audire velit obloquitur. Tùm enim loco libri, in quo orare deſinit, ungue pollicis notato totas irarum effundit habenas, tamque rabioſa voce delitigat ac bacchatur, ut orationis penſum jurgio, quàm precibus abſolvere malle videatur. Nullum quippe ſuauius ei eſt acroama; nulla cantilena delectabilior, quàm iracundiæ ipſius parens omnemque bilem in alterum exonerans oratio. Eãdem verò voluptatem ipſi præſtat malum carmen in eos occentatum; qui vel præ ſe

ferre audent, ſibi Ieſuiticam docendi rationem minùs probari, vel aliquid in cujuſcunque Ieſuitę dictis, ſcriptis aut factis requirere nō dubitāt. Hos enimverò Caſtorius pro piacularibus ſacris & inteſtabilibus habet, neque ei in eos palàm mentiri, eoſque ſceleratos, Hęręticos, peſtilentes, ipſosque Cacodæmonas dicere ulla eſt religio, etjamſi tales ſint, ut eorum virtutes & erga Eccleſiam Dei merita ipſi Pontifex & Imperator, & optimus quiſque ac maximus cùm voce, tùm conſignatis tabulis prædicent, eoſque benè audire ipſius Catholicæ religionis non minimum interſit. Iſta eum conſuetudine factitare, & maledicto fræna quotidiè laxare, Pater ſuus Generalis habet cognitiſſimum, quippini? cùm de intemperiis, furore, mendaciis, & ad conviciandum effrænatione ejus vix quiſquam Romæ inveniatur, qui non inaudierit. Quamvis autem inter fidei Chriſtianæ capita ſit, *mendaces & maledicos regnū Dei non poſſeſſuros, nec dimitti peccatum, niſi reſtituatur ablatum*, cui conſequens eſt, ut Caſtorio iſti certò non arbitrario ad generum Cereris deſcendendum ſit, qui jam ipſos triginta quatuor annos alienam famam, & quidem eorum quorum virtus & pietas Eccleſiæ toti ſatis ſpectata eſt, quotidiè depeculetur, & capitali eorum odio inflammatus

quo-

quotidiè ſacra facere non dubitet , tantùm abeſt,ut eum odij erga proximum pœniteat, deque ſatis faciendo probroſique carminis recantandi cogitatio unquam ſubeat:quamvis etiam abeſſe non poſſit , quin univerſæ Societati nonnulla adſpergatur macula, cũ homines antiquiſſimo omnium Ieſuitæ animos tàm parùm domitos eſſe vident,ut bile & iracundiâ vel natos modò infantulos ſuperet, maledicti verò exercitatione ne ulli quidem Hęretico,qui vel ſolutiſſimæ linguę ſit,tantillum concedat: ex quo fieri porrò neceſſe eſt,ut tot illa pietatis,patientię,modeſtiæ & humilitatis præcepta & exercitia, quæ in Societate vigere creduntur, ludibrio eſſe incipiant, quaſi quæ ipſis etiam Ieſuitis tàm veteranis , alterum pedem in cymba Charontis habentibus, tàm nulli prorſus uſui eſſe appareat. Hic enim locus eſt illis Senecæ verbis epiſt.108. *Nullos pejus mereri de omnibus mortalibus judico , quàm qui aliter vivunt, quàm vivendum eſſe præcipiunt. Exempla enim ſeipſos inutilis doctrinæ circumferunt, nulli non vitio, quod inſequuntur, obnoxij. Non magis mihi poteſt quiſquam talis prodeſſe præceptor, quã Gubernator in tempeſtate nauſeabundus.* In quam eandem ſententiam S. Gregorius Magnus. *Nemo*,inquit,*in Eccleſia ampliùs nocet,quàm qui perverſè agens nomen vel ordinem ſanctitatis ha-*

bet (id eſt, qui vel ipſe Sancti ordinis membrum eſt, vel ſanctus eſſe creditur.) *Delinquentem namque hunc nemo redarguere præſumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis* ſui aut nominis, quod habet, *peccator honoratur*: Hæc ergò quamvis ita ſint, & Caſtronium ſibi & aliis, præcipueque iis, quibus præeſt, quique in exemplum ejus reſpiciunt, exitio eſſe probè Pater Generalis intelligat, nunquam tamen animum inducit, ut eum caſtiget aut emendet, turpiſſimamque iſtam iracundiam comprimere ac maledicendi licentiam fræno compeſcere, moribusque ſocio Ieſu & S. Ignatij alumno dignis vivere doceat. Cujus quidem rei alia aliis cauſa videri ſolet. Sunt qui hâc eum re ſatis excuſari putent, quòd nemini eorum, quibus ipſe notus, iſte ejus morbus ignotus ſit, adeoque ſenis deliri & cerebroſi, vel potiùs inſani maledictis nemo fidem ullam adjungat, ſed ultrò arrideat. Et hoc ipſum ad nihili faciendas ejus debacchationes Ludoviſio Cardinali aliquando afferre viſum eſt: cui cùm regereretur, At enim iſtius notæ impunitas peccatum hominis alit & corroborat: Vt cum nulla mendaciorum & maledictorum ſuorum acta pœnitentia mox in maximam malam rem, hoc eſt, ad Acheruſia Orci templa præcipitem

tem

tem ire neceſſe ſit: *Eat ſanè*, inquit ille, *quid noſtra id refert? ipſe de ſe viderit.* Hinc autem nemini obſcurum eſſe poteſt, quanti Germanica natio Romæ fiat, cùm tot illuſtribus ac nobilibus adoleſcentibus, ex quibus Electores & Principes Imperij aliquandò prodituri ſperantur, eum Generalis Ieſuitarum morum Magiſtrum præficiat, quem propter effrænem, impotentis animi iracundiam & convitiandi mentiendique libidinem nemo fide dignum cenſeat, ipſe etiam Ludoviſius, unicus ille Societatis patronus laudumque buccinator, pro Orci Candidato ſe habere minimè diſſimulet. Alij in tolerando tàm compertæ inſaniæ ac maledicentiæ viro Patrem Generalem hanc habere rationem cenſent, Societatis omnem in partem plurimùm intereſſe, ut in ea ſint homines ſententia, Ieſuitarum operam Eccleſiæ ac Reipublicæ ita neceſſariam eſſe, ut ſine illa nec religio Catholica ſubſiſtere, nec virtus ac eruditio à quoquam parari poſſit. Hanc verò opinionem minui, ſi quis virtutis aut doctrinæ famam habeat, qui vel Ieſuita non ſit, vel certè Ieſuitis magiſtris uſus non fuerit, ſi præſertim idem apertè ferat, non omnia ſe Ieſuitarum dicta aut facta probare, neque quod nigrum eſt, in gratiam eorum album velle dicere. Rationem proinde im-

perij publici ſive *Status* (ut vocant) hoc omninò poſtulare, ut Ieſuitæ de ingenio, doctrina & moribus eorum detrahant, quos non ſine fraude & damno ſeu præjudicio Societatis benè ab aliis audire intelligunt. Benè ergo de Societate Caſtorium mereri, adeoque num tàm culpâ carere, quàm commendari dignum eſſe, qui mendaciis ac maledictis tàm ſtrenuè eos oppugnet, quibus exiſtimationem minimè ſalvam eſſe tantoperè Societatis interſit. Non nemo denique hanc Patri Generali excuſationem parat, quod ſatis exploratum habeat, Caſtorium ejus notæ Cantorem eſſe, qui veterem ſuam cantilenam canere, hoc eſt, maledicta in alios ingerere pro cibo habeat, & multò vitam amittere, quàm iſtius generis carmine ſuperſedere malit: adeoque nihil hoc eſſe certo certius, ſi in alios pus & venenum ſuū evomere vetetur, in ipſum mox Generalem cæteroſque Ieſuitas eum cornua obverſurum, quippe quos præ ſe ut longè in ſodalitio iſto adoleſcentiores ipſe natu maximus contemnat, nec parùm multa, quæ longo jam tempore perperam & adverſus Societatis leges atque inſtituta admiſſa novit, quorúmque ipſe pars magna fuit, cum ingenti totius Ordinis invidia palàm agitare poſſit. Quidni ergò Generalis ſuo eum ingenio

genio

genio uti patiatur, ut aliis potiùs, quàm ipſi, omni bile evomendâ moleſtus ſit, cùm haud dubiè *ad majorem Dei gloriam* pertineat, alios potiùs, quàm ipſum, ejuſque Sodalitiū malè audire? Hinc porrò fit, ut citiùs luſciniolæ cantio, quàm Caſtorio mendacia & convicia in viros optimos & eruditiſſimos defuerint, ut in eum uſquequaque conveniat, quod de Corvo & Pſittaco Apuleius habet. *Et Corvus* (inquit) *& Pſittacus nihil aliud, quàm quod didicerunt, pronunciant. Si convicia docueris, conviciabitur: diebus ac noctibus perſtrepens maledictis. Hoc illi carmen eſt, hanc putat cantionem. Ubi omnia quæ didicit maledicta percenſuit. Denuò repetit eandem cantilenam. Si carere convicio velis, lingua excidenda eſt, aut quamprimum in ſylvas ſuas remittendus.* Ac talibus quidem canticis ſuam Caſtorius vocē exercet: quibus etſi uſque eò ſe oblectat, ut cum quovis modorum iſtorum cantitat, pulcher ſibi ac beatus videatur, neque ſortem ſuam cum illis beatorum ſpiritibus, *immortali ævo ſumma cum pace potitis* & canticū novum decantantibus commutatam velit: tamen ne illam quidem aſpernatur voluptatem, quam alienus cantus audientibus afferre poteſt. Itaque plurimos annos impenſo pretio præſtantiſſimos totius Italiæ Symphoniacos ſive flatu, ſive nervis aut fidibus,

ſive aſſâ voce cantantes, conductos habuit, quorum aliis ternos, aliis quaternos aureos menſtruos(ut quidem ipſi prædicabant)pro ſtipendio dependebat,ſic tamen ut ſæpè extra ordinem in diebus,quos majore quadam celebritate Roma feſtos habet, pro ſingulis cantiunculis viritim aureum cantoribus exſolveret.Neque tamen eâ re contentus octo pueros, quos ex omnibus, qui Romæ vocaliores & μουσικώτεροι cæteris viderentur, maximâ curâ delegerat, unà cum Phonaſco, vocis artifice & artis Magiſtro, in ipſo Collegio Germanico alebat, ut planè fructibus Collegij illudere, eleemoſynaſque ab hominibus piis ad redimenda peccata ſua teſtamento relictas, & ad alendos eos qui reſtituendæ ac retinendæ in Germania Catholicæ fidei gerendæque animarum curæ ſe devoverunt,Pontificum auctoritate converſas, bene magnam partem ad oblectandas ſuas & eorum, quos advocabat, præcipuéque veteranorum Ieſuitarum in Generalis contubernio viventium auriculas abuti videretur. Non ignota loquor. Hoc Pontifex,hoc Cardinales,hoc omnis Roma,hoc magni denique Principes aliqua ex cauſa Romam appulſi noverunt: quorum nonnullos idem Caſtorius ad prandium aut merendam devocare, eámque in rem non ſemel

quin-

quinquagenis aureis amplius expenſum ferre auſus eſt, nullâ ille vel neceſſitate adactus, vel Collegij alumnorum utilitate ductus, ſed ſolâ voluptate victus, quam partim Symphoniâ audiendâ, partim ſe Principibus ventitando, ſuumque regnum, & in dilapidandis Collegij opibus Pontificiam ſupremámque & ἀνυπεύθυνον atque omni reddendæ rationis onere liberam ac ſolutam poteſtatem oculis eorum ingerendo capere ſolebat. Sic itur ad aſtra, ſic digito cœlum tangitur, ſic Martyr iſte pro ſede Apoſtolica quotidie moritur. Neque tamen cæteros Ieſuitarũ in hac tanta ſua immortalitate prorſus ignorare, neque non in ſuę felicitatis Societatem alios atque alios ſubindè admittere cenſendus eſt, cùm ab ea ne Dominicanos quidem excludendos putet, etſi eos Ieſuitæ alioqui pro æmulis parumque amicis habere ſolent. Quadam certè die in ſuburbano Collegij horto duos Dominicanæ familiæ Theologos prandio cùm advocâſſet, tres pueros ex octo illis, quos Symphoniæ causâ Collegij impenſis ali ab eo dixi, propter majorem & vocis ſuavitatem & artis Muſicæ peritiam electos in totidem arboribus collocari, ibique velut luſciniolas certatim cantillare, aureſque prandentium promereri juſſit. O Divi Ignati & Xaveri, quid habetis, qui magis quàm ipſe ſit, beatos

vos eſſe credat Caſtorius, qui hæc tanta oculis & auribus bona concipit, ſibique & ſodalibus, quos plus diligit, cœlitum DELICIAS velut in anteceſſum repræſentat?

Venio nunc ad SCENICAS Ieſuitarum Delicias ſeu recreationes, in quibus verò demum locum habet, quod ait Mariana, *multis eas menſibus durare.* Fieri quippe neceſſe eſt, ut adoleſcentes ac pueri, quibus agendi partes mandantur, ſæpè ſui periculum faciant, ac repetitâ ſæpius actione oculos aureſque Ieſuitarum oblectent. Ferè enim ex omni numero ſpecioſiſſimi deliguntur, quorum præcipuè quidem, non tamen ſola facies, nõ minimum autem vocis quoque & actionis ac veſtitus lenocinium ſpectatores alliciat. Romę certè cum D. Ignatij *Apotheoſin*(quam vocabant. Nam *Canonizatio* rus eis olere videbatur) in Theatro exhiberent (id quod eos quinctum decimum feciſſe puto) Divi illius perſonam gerebat adoleſcens minimè inhoneſti oris, ex ſummi quippe Pœnitentionarij pædagogio lectus, qui benè adhuc ætatem ferret, ac nec dum florem juventæ penitùs exſtinxiſſet. Itaque minimè mirandum erat, certatim Romanos ad ſcenici iſtius Ignatij conſpectum convolare, & pegmatis automato in cœlum ſuſtolli incipientem plauſu & acclamatione proſequi, ſibi

etiam

etiam velut Divo devotiſſimis volentē propitium optare. Non facilè autem verbis expreſſero, quanto morum ac ſtudiorum detrimento ſcenicam iſtam voluptatem Ieſuitis juventus inſtruat. Primùm enim quibus mandatæ ſunt in ſcena agendi partes eo prætextu multò fiunt ad diſcenda Magiſtrorum dictata indiligentiores, ut complures ſæpè menſes nullo operæ pretio eis effluant. Si Magiſter eos objurget, quòd ſint ceſſatores, parata eis eſt excuſatio, ſe quæ in Scena recitare neceſſe habeant, ediſcere, quo verbo Magiſtrum reddunt Harpocratem. Deinde cùm pleræque illæ Fabulæ à Ieſuitis, iiſque plebeiis & minorum gentium conſcriptæ ſint, fit ut iis ediſcendis pueri plurimis barbariſmis & ſolœciſmis imbuantur, qui per omnem poſteà ætatem eis adhæreſcant.

Adhæc vix evitari poteſt, quin etiam illi, quos alioqui pædagogorum aut privatorum ſeu domeſticorum Magiſtrorum cuſtodiâ à pravorum, nec ſatis caſtorum adoleſcentum congreſſu munitos habet, ad morum corruptelam, ſæpè etiam ad jacturam pudicitiæ inſidiatoribus eorum prodantur, nec enim actorum ſeu collocutorum alter alteri interdici poteſt, quin ſæpè una ſint, ipſique in proſcenio aut alibi privatim ac ſoli perſonas

ſuas agere adſueſcant. Ita uſu venit, ut qui pudiciores Veſtæ domo venerant, ex ſcena Catamiti, aut certè nequitiæ minùs rudes; domum revertantur, ſi ſpectatiſſimæ virtutis viris fides eſt, qui & ipſi complures Principibus in theatro fabulas dederunt, aut Sacerdotibus credimus; qui Actores aliquando peccata per ſacram exomologeſin renarrantes audiere, quorum non neminem in ea comperi ſententia, parẽtes, qui hiſtrionicas ejus notæ actiones impenſis ſuis adjuvant, ac filiorum operam ſcenæ commodant, quiddam iis ſimile facere, qui olim liberos ſuos idolo Moloch conſecrabant. Verè enim lenocinium eos facere, ac florem ętatis liberum ad paſtum dumtaxat oculorũ, vel actoribus, vel ſpectatoribus proſtituere. Vt enim eam concedant in Ieſuitis virtutis perfectionem, ut formoſorum conſpectu nihil commoveantur, nec obſceniùs natura eorum excitetur, aut certè non ultra quàm licet ac fas eſt ipſi eâ ſe θεωρίᾳ oblectent: nõ parum multos tamen ad animi firmitudinẽ nequaquam Ieſuitis pares vix ſe continere, quin ebricos ac putres in eos deponant oculos, tum quidem certè cùm retecta ac nuda plurium ephebórum corpora, Phœbo & ſorore Phœbi pulchriora, in Crucibus parieti applicitis confixa an adſtricta contuentur,

Ve-

Velut in magni cujusdam Principis civitate ad Chriſti ſupplicium ſextâ majoris hebdomadæ feriâ repræſentandum pro ſumma rerum, quâ ibi potiebantur, Ieſuitas factitare memini. Sed ejusdem Principis honori hoc à me datur, ut loci nomen ſilentio involvã.

Prætereo etiam maximè deforme Adulationis genus, quo niſi fabulas ſuas condiãt, eas aliter vix ſtare poſſe perſuaſum habent. Itaque Viennæ annis ſuperioribus religioni eis non fuit, in libello typis deſcripto, qui Comediæ, quam Matthiæ Cęſari multisque Principibus daturi erant, argumentum cõplectebatur, Henricum Iulium Ducẽ Brunſvicenſem, *Reverendiſſimum Epiſcopum Halberſtadienſem*, honoris cauſâ appellare, quem tamen & Hęreticum & Catholicis infeſtiſſimum eſſe, & invitis divini humanique juris legibus Eccleſię Halberſtadienſi ſacrilegè incubare, eoque pacto leges de Religionis pace in Germania fixas vi perrumpere, ac propterea velut perduellem non modò nec minimâ boni cujusque laude, ſed etiam Cęſareâ proſcriptione dignum eſſe judicabant. Evangelio quidem ſi crederent, eum non per oſtium in ouile, ſed aliunde ingreſſum, Lupum, Furem & Latronem, minimè verò Paſtorem aut Reverendiſſimum Epiſcopum perhiberi oportere dubium non habebant.

Grætij verò quondam in Comœdia ex fœdiſſimis adulationibus erga fratres Archiduces, Ferdinandum, Maximilianum, Leopoldum & Carolum, eorumque ſorores & omnium Matrem tùm præſentes, novum Litaniæ genus, an ſęculare carmen conflare viſi ſunt. Cùm enim puer quidam ſcenicus in magnæ illius Matris laudem pronunciaſſet; *Mater optima*: alius mox ſuccinuit, *Mater prudentiſſima.*

alius, *Mater caſtiſſima.*
alius, *Mater liberaliſſima.*
alius, *Mater clementiſſima.*
alius, *Mater Patriæ.*
alius, *Mater orphanorum.*
alius, *Mater pauperum.*
alius, *Mater tot Reginarum.*
alius, *Mater tot Archiducum.*

Mimum tandem, an Litaniam, cum multis ſuis laudibus expleverunt.

Leupoldusque ſacer, Caroleumque decus.

Alia ejuſdem artificij ſpecimina nihil me commemorare attinet: ſiquidem nuſquam gentium Ieſuitarum ſunt Collegia, quin ibi quotannis in Scena Mimos agant, & Principes ad Magnates, quà viros, quà fœminas, exquiſitiſſimis aſſentationibus demulceant, quarum vel homines Gentiles, ac Chriſtianorum ſacrorum penitus rudes, meritò diſpudeat.

Quod

Quòd ſi quis jam benè calculum ponere, & quanto auro atque argento multi privatim emungantur, ratione ſubductâ reperire velit, qui ſc. parum firmâ ſunt fronte, nec iis præcidere ac negare animum inducunt, à quibus ad Scenæ apparatum quantumvis grandes impenſæ nullo pudore poſcuntur: nihil equidem dubito quin Ieſuitas vetus Atheniensium exemplum hodiè referre mihi aſſentiat: quos graviſſimè Plutarchus accuſat, quòd magnarum claſſium & exercituum commeatus & impenſas in Theatri nugas effuderint. *Si enim rationes ſubducantur* (inquit) *quantæ conſtiterint ſingulæ Athenienſibus fabulæ, apparebit eos in Bacchas, Phœniſſas, Oedipos, Antigonam, Medéaque & Electræ calamitates plus feciſſe ſumtuum, quàm in bella pro imperio & libertate contra Barbaros geſta.* Et dubitamus adhuc, quin verè pretioſi operarij ſint Ieſuitæ, quorum Deliciæ ac Voluptates niſi regiis jacturis & impenſis, aliter inſtrui nequaquàm poſſint?

Reliquum nunc eſt, ut de VENATIONIBUS eorum, deque voluptate, quam inde capiunt, videamus, qua de re vix mihi fides fuiſſet facta, niſi Sacerdos Cappucinus, ſpectatæ probitatis vir ea, quæ in Eberndorfenſi Præpoſitura oculis ipſe ſuis uſurpavit, mihi retuliſſet. Græcienſes nimirum Ieſuitæ

(ſive ut ipſi Grammaticę non ſatis periti, eoque ubere virgidemia digni, vocare ſe malunt, *Græcenſes*,) Quietis, quam vocant, domum ibi conſtituerunt, quo ſe quotannis per ſtudiorum intervalla animi causâ recipere, & ſcholaſticis laboribus feſſos recreare ſolent. Ibi retia, plagas, venabula, venaticos canes, cornua, equos, omne denique venatorium inſtrumentum ad Quietem Reverendis Patribus præſtandam affatim invenias. Nec ulla eis eſt religio, ne in Sacros Canones venatione Clericis interdicentes delinquant nefasque contrahant. Sciunt enim *juſto legem non eſſe poſitam*, & imprudentis aut calumniatoris eſſe, leges publicæ utilitatis causâ latas ad fraudem noxamque Reipub. interpretandô convertere. Quis eſt qui dubitare auſit, publicè vehementer intereſſe, ut Ieſuitæ alacriores ac vegetiores ad docẽdum quotannis redeant? Quod quidem nequicquam facere eos poſſe exiſtimes, niſi ad *Quietis domum* ſe conferant, ibique Venatione animum laboribus annuis fractum relaxent. Quo accedit, quod ferarum venatio cum Hæreticorum in Eccleſiæ plagas compulſione ſeu Converſione maximam habet ſimilitudinem. Ex quo & Hæretici, *Feræ ac Beſtiæ agri* vel *Saltus*, Sacerdotes autem eorum ad Eccleſiam reductioni operam locantes,

çantes; *Venatores* in ſacris Literis paſſim perhibentur: An ergo erit quiſquam, qui non agnoſcat ac fateatur, Ieſuitas ſectando lepore, figendo cervo, aut excipiendo Calcedonio ſuæ ingens operæ pretium facere, qui eandem prorſus rationem mox in Hæreticis ſectandis, conficiendis, aut de agro Dei proterrendis fugandiſque tenere diſcant, ut ſicut Apoſtoli olim pro Piſcium captoribus Piſcatores hominum evaſerunt, ſimiliter ipſi fortes ac robuſtos *Hominum venatores* ſe præbeant?

Ita ſucceſſores eos eſſe Apoſtolorum nemo non intelliget, neque intercedet, quin nunc demum Deus præſtet, quod tantò antè facturum ſe receperat. Ierem. 16. *Ecce ego mittam eis multos Venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum.*

Eſt tamen etiamnum quiddam, quo haud ſcio an plus etiam, quàm iis quæ adhuc dicta ſunt, ſuam venandi conſuetudinem *ad Majorem Dei gloriam* & ad boni publici rationes pertinere, adeoque nullo jure accuſari defenderint. Magni ſcilicet Principes inveniuntur, quos ex ſententia valere ac diu vitales eſſe Eccleſiæ ac Reipubl. Catholicæ plurimum intereſt, idque boni omnes omnibus votis comprecari debent. Hi verò ſic

à pueris educati factique ſunt, ut niſi majorem temporis partem venando ſe oblectét, vitam ſibi acerbam putent, ac ne ex ea animi ægritudine mox in corporis quoq; morbum incidant, non ſint nullo periculo. Et tamen reperias homines tàm parùm obſequioſos, ut ejuſ ingenij Principibus religionem ex eo objicere non dubitét, quod ex D. Hieronymo Canones notant, præter impios illos homines, Nembrod & Eſau, nullum in ſacris literis Principem Venatorem inveniri. Hunc ergo ſcrupulum, qui eos malè habet, eis eximere, eoque pacto non magis voluntati eorum, quàm valetudini, ſervire, quis neget idem eſſe de bono publico quàm optimè mereri? Id autem nemo fecerit rectiùs, quàm qui ſanctitatis ac prudentiæ opinionem habeat: quod in Ieſuitis eſſe nemo niſi Hæreticus, aut ſaltem minimæ bonæ notæ Catholicus in dubium vocaverit.

Hi ergo ſi & ipſi Venatui indulgeant, odio cum ſua religione digniſſimus videatur neceſſe eſt, qui jam injectâ Nembrodi & Eſau mentione Principibus moleſtus eſſe, & iſti eorum voluptati intercedere animum inducát. Tùm enim in promtu eſt Principibus, ut ſe vero illi patruo & cenſori ſuo ſtrenuè oppedant, hocque carmine eum faceſſere procul jubeant. *Tace ſis & cave malo, novi*

enim Theologos, quorum alia longè de Venatione, quàm tua, eſt ſententia. Atque hac ratione non modò Venationes ſuas, ſed & Mendacium ſatis defenderint, quo in Præpoſituræ Eberndorfienſis Monaſterio ſibi conficiendo uſos fuiſſe Vrſinus de Bertis, Tergeſtinus Epiſcopus & Archiducis Conſiliarius, narrare amicis ſolebat. Optimo ſc. ac religioſiſſimo Archiduci perſuaſerant, id Monaſteriũ non plus mille florenis annuis reddere, cùm tamen ſena millia inde redire ſatis certò noſſent: Qua ipsâ fronte & conſcientiâ ut Mylſtadienſe Monaſterium ab eodem Principe obtinerent, vectigal ejus annuum non niſi ſex millia eſſe contenderant, etſi alios, qui multis annis vectigalia illa adminiſtrarant, viginti quinque millia inde ſe percepiſſe confitentes audierant, ipſique hodie velut multò ad rem attentiores ac ſolertiores triginta millia capere ex eo ſoleant, quẽadmodũ idem Tergeſtinus Antiſtes affirmabat. *Malum eſt, malum eſt, dicit omnis emtor* (ſeu pretio, ſeu precibus emat) *& cũ receſſerit, tunc gloriabitur.* Id eſt, poſtquam id quod volebat obtinuerit, in ſinum gaudebit, quod pretio rei verbis extenuando ea potitus fuerit. Proverb. 20. *Ad majorem* ſcilicet *Dei gloriam pertinet*, Ieſuitas in benè aucta parte eſſe, nullâque re non modò ad neceſſarios vitæ uſus,

ſed ad commoditates quoque ac Delicias idonea deſici. Vt enim eſt in ſacris literis, *Pecuniæ obediunt omnia. Et utilior eſt ſapientia cum divitiis, & magis prodeſt videntibus Solem. Sicut enim protegit Sapientia, ſic protegit pecunia.* Divitias autem vix poſſidebunt Ieſuitæ, niſi opulenta Monaſteria conſequantur, cùm Principes de alieno, quàm de ſuo, multò liberaliores eſſe ſoleant. Id autem nequicquam ſperent, ſi ut res eſt ſimpliciter velint eloqui, nec aliquid alicubi mendacioli adſpergant; ut verbis Apoſtoli ſic de ſe prædicare poſſint: *Cum eſſem aſtutus, dolo vos cepi.* Illud quidem ſatis exploratum eis videtur, ſuam iſtam Monaſteriorum ditiſſimorum venaturam & mendacia, quibus ea venantur, non magis Deo ingrata eſſe, quàm obſtetricum Ægyptiarum commodatum Dei populo mendacium fuiſſe ſciunt; quibus propterea Deus *beneſeciſſe & domos ædificaſſe* memoratur. Nam & ipſi ſibi domos ampliſſimas an regias, ædificatas eſſe contuentur, & alij in Domo Quietis Eberndorfienſi perſpicuè oraculi illius fidem impletam intelligunt, quod Pſalmi 131. Hębrea ac Græca pręfert lectio: *Hæc* R E Q U I E S *mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo quoniam elegi eam.* V E N A T I O N E M *ejus benedicens benedicam. Sacerdotes ejus* (Venatores putà) *induam ſalutari,*

ſive

ſive nomine I E S U, quod eſt nomen dantis ſalutem, exornabo, ut I E S U I T Æ ſeu *ſalutares* audiant. Sed de Deliciis eorum, quas Mariana nimias, nimis multas, nimiſque diuturnas, ipſis denique noxias eſſe cenſet, ſatis jam dictum deputo. Si quis tamen ſit, cujus auris iſto auditu nondum impletur, facere me cogitet, quod ait Salomo: *Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus: ſapiens differt & reſervat in poſterum*, Proverb. 29.

DIVINA ORACVLA DE Exitu Societatis.

Ierem. 48. *Quia plus fecit, quàm potuit, idcircò perierunt.*

Ieſuitas plus facere, quàm poſſint, ſive inconceſſa aut impoſſibilia conari, minimè eſt obſcurum.

Volunt ſimul Deò & Mammonæ ſervire, quòd eſſe impoſſibile teſtatur Chriſtus Matth. 6.

Non poteſtis Deo & Mammonæ ſervire.

Volunt ſimul Chriſtum & Vitellium aut Vitulum ſuum adorare, ac pariter gloriæ utriuſque ſervire, quod eſt impoſſibile. *Nemo* enim *poteſt duobus Dominis ſervire*, Matth. 6. *Ego Dominus, hoc eſt nomen meum: gloriam meam*

alteri non dabo, Iſai.42. *Projectus eſt Vitulus tuus Samaria, quia artifex fecit illum, & non eſt Deus*, Oſe.8.

Volunt ſimul eſſe Milites Chriſti, & implicare ſe negotiis ſæcularibus, quod eſt impoſſibile. *Nemo* enim *militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, vt ei placeat, qui ſe elegit*, 2.Tim.2.

Volunt ſimul certare in Agone coronandi, nec ab omnibus ſe abſtinere. Quod eſt impoſſibile. *Omnis* enim *qui in Agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, ut corruptibilem coronam accipiat*, 1.Cor.9. *Qui certat in Agone, non coronabitur niſi legitimè certaverit*, 2.Tim.2. id eſt, niſi ſecundùm leges Agoniſticas à multis rebus placitis abſtinuerit.

Volunt ſimul multos erudire, ſive ad faciendos fructus pœnitentiâ dignos impellere, & animæ ſuæ ſuaves eſſe, nec eam jejuniis multis affligere, quod eſt impoſſibile. Vt enim Eccl.37. ſcriptum eſt: *Vir aſtutus multos erudivit, & animæ ſuæ ſuavis eſt. Omni re defraudabitur* (id eſt, fruſtrà laborabit) *non eſt enim illi data à Domino gratia.*

Volunt ſimul ſapientiam acquirere, & multis actibus ſeu vitæ negotioſæ ſe dedere, quod eſt impoſſibile. Quia *Sapientia Scribæ eſt in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu, ſapientiam percipiet*, Eccleſ.30. id eſt, *Scriba doctus*

doctus ad regnum cœlorum & idoneus Novi Teſtamenti miniſter totam vitam contemplationi deputare, & omne tempus vacuum habere, minusque actuoſus eſſe debet.

Volunt ſimul eſſe Arbores frugiferæ, nec tamen plantari ſecus decurſus aquarum de ſanctuario egredientium, quod eſt impoſſibile. Nam homines tantùm contemplativi, *quorum voluntas eſt in lege Domini, in eaque dies & noctes meditantur*, ſunt talia *ligna fructifera, quorum fructus* ſive opera *ſint in cibum*, *Folia* verò ſive verba *ſint* in animorum *medicinam*, Pſalm.1. Ezech.47. cùm alij ſint vel *myricæ in deſerto* (Ierem.17.) *vel Salices torrentis* (Iob. 40.) quoniam aquis ſapientiæ ſalutaris aut nunquam, aut minùs ſæpè irrigantur, id eſt, Contemplationem rerum divinarum aut prorſus miſſam faciunt, aut pro Exercitio tantùm habent, non pro officio, pro Medio, & non pro Fine. Aut etiam ſunt *Arundines vento agitatæ* (Matth.11.) quippe quos humani favoris aura paulo momento huc illuc impellat, ut modò ſpe gratiæ jucunda & hominibus placentia loquantur, modò offenſæ metu ingrata, quamvis hominum ſaluti neceſſaria, reticeant, & utrovis modo plurimùm hominibus noceant.

Volunt ſimul rapere regnum Dei, nec tamen eſſe in ſeipſos violenti, quemadmodú

Iohannes Baptiſta, Chriſtus & Apoſtoli fuêre, quod eſt impoſſibile. *A diebus* enim *Iohannis vſque nunc regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud*, Matth. 11. Violentiâ verò uſus fuit Iohannes, cùm *venit nec manducans panem, nec bibens vinum, nec veſtitus mollibus, nec in domibus regum* vivens. Chriſtus etiam in ſe violentus fuit, ut *expectaret cor ejus improperium & miſeriam* (Pſalm 68.) & cuperet *ſaturari opprobriis* (Thren. 3. & tantæ paupertatis eſſet, *ut non haberet ubi caput reponeret* (Luc. 9. eſſetque *vir dolorum & ſciens infirmitates, vulneratus propter iniquitates noſtras, & attritus propter ſcelera noſtra, ſicut Agnus coram tondente ſe obmutuit & non aperuit os ſuum* (Iſai. 53.) Apoſtolorum in ſeipſos violentiam ſic deſcribit Paulus 1. Corint. 4. *Deus nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit, tanquam morti deſtinatos. Nos ſtulti, infirmi & ignobiles ſumus propter Chriſtum. Vſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi & inſtabiles ſumus* (ſive nullum domicilium, multò minùs Collegium magnificum habemus) *laboramus operantes manibus noſtris*, & *quamvis egeamus, nulli oneroſi aut graves ſumus, ſed ſine onere nos hominibus ſervamus* (2. Cor. 11.) *maledicimur, blaſphemamur, colaphis cædimur, tanquam purgamenta hujus mundi facti ſumus*. Vos autem Clerici Regulares, *quos ego in Chriſto Ieſu per Evangelium genui,*

quos

quos Deus vocavit in Societatem filij ejus Ieſu (1.Cor.1.)*jam ſaturati eſtis,jam divites facti eſtis, ſine nobis regnatis* (id eſt, ſine ulla violentiæ Apoſtolicæ imitatione) *& utinam regnaretis* (ac non potiùs) *dominaremini hominum fidei, quos devoratis, in faciem cæditis, in ſervitutem redigitis* (2.Cor.1.& 11.) *Rogo vos imitatores mei eſtote,ſicut & ego Chriſti*, 1.Cor.4.6.& 11. *Exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros in multa patientia,in neceſſitatibus,in laboribus, in vigiliis & jejuniis multis, in fame & ſiti, in frigore & nuditate.*

Volunt ſimul caſti manere, nec uti medicinâ jejunij, quod eſt impoſſibile, cùm illi, qui bis in die ventrem carnibus pręcipuè vinoque onerant, Seminarium libidinis in corpore ſuo habeant.Sic enim ſcribit S.Hieronymus adverſus Iovinian. *Nos quorum converſatio in cœlis eſt, repugnantem carnem & ad libidinum incentiva rapientem inediâ ſubjugamus.Eſus carnium & potus vini, ventriſque ſaturitas, Seminarium eſt libidinis.* Illi arbitrantur carnes ſanitati congruas,qui volunt abuti libidine,& in cænum demerſi voluptatum ad coitum ſemper exæſtuant. Fruſtrà SIMULANT ſalvâ fide & pudicitiâ & mentis integritate ſe abuti voluptatibus, cùm contra naturam ſit, copiis voluptatum ſine voluptate perfrui. Et S.Thomas Opuſc.18.cap.9.

Oportet Continentiæ viam aſſumentes carnem propriam abſtractis deliciis, vigiliis & Iejuniis, & hujuſmodi Exercitiis caſtigare. Et S. Bern. ſuper Cantico: *Abſtinebo à vino, quia in vino luxuria eſt, aut ſi infirmus ſum, modico utar juxta conſilium Apoſtoli. Abſtinebo & à Carnibus, ne dum nimis mihi Carnem nutriunt, ſimul & carnis nutriant vitia. Panem quoque ipſum cum menſura ſumere ſtudebo, ne onerato ventre ſtare ad orandum tædeat.* Et S. Chryſoſtomus in Matth. 16. *Iohannes velut purus homo indigebat medicinâ Iejunij. Chriſtus Deus erat, & non purus homo, & ideo Iejunio non indigebat.* Hinc conſequitur, Ieſuitas non eſſe puros, ſed vel Deos, vel impuros homines, qui Iejunij & Abſtinentiæ medicinâ ſe non indigere putent, non plus quidem jejunent, aut à carnibus abſtineant, quàm omnes alij Catholici, mulierum conſuetudine libidini ſuæ medentes.

Volunt ſimul in rerum divinarum Contemplatione occupari multumque proficere, nec tamen contemplationis & ſcientiæ impedimenta miſſa facere, quod eſt impoſſibile. Vt enim Iob. 28. ſcriptum eſt: *Sapientia non invenitur in terra ſuaviter viventium.* Quæ verba explanans S. Gregorius, *Qui* (inquit) *hujus vitæ voluptatibus paſcitur, ab æternæ ſapientiæ intellectu ſeparatur.* Et S. Baſilius Homiliâ

in Pſal.

in Pſalm.29. *Iure meam extenuo ac macero carnem, nec meo ſanguini parco, qui in carnem coagulari ſolet, ne mihi ad veritatis cognitionem ſit impedimento.* Et S. Hieronymus adverſus Iovin. *Sapientiæ operam dare non poſſumus, ſi menſæ abundantiam cogitemus, quæ labore nimio & curâ indiget. Quòd ſi quis exiſtimat & abundantiâ ciborum potionumque ſe perfrui, & vacare poſſe ſapientiæ, hoc eſt, & verſari in deliciis, & deliciarum vitiis non teneri, ſeipſum decipit.* Et S. Thomas 2.quæſt.147. artic.1. *Aſſumitur Iejunium ad hoc, ut mens liberiùs elevetur ad ſublimia contemplanda. Vnde dicitur Daniel.*10. *quòd poſt Iejunium trium hebdomadarum Daniel revelationem accepit à Deo.* Sic enim ibi legitur: *Ego lugebam trium hebdomadarum diebus, panem deſiderabilem non comedi, & Caro & Vinum non introïerunt in os meum. Et dixit ad me Angelus: Ex die primo, quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conſpectu Dei tui, exaudita ſunt verba tua.* Similiter autem & Salomo ad contemplandum diſcendumque ſe comparavit, de quo ipſe Eccleſ.2. *Cogitavi in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad ſapientiam, devitaremque ſtultitiam, donec viderem quid eſſet utile filiis hominum.* Sed Ieſuitis unis hoc datum eſt ut quotidie bis vino carnibusque ſaturi

plus quàm cæteri hominum ſapere & genus humanum docere poſſint, & in unum quévis eorum convenit illud Ezech.28. *Ecce ſapientior es tu Daniele: omne ſecretum non eſt abſconditum à te.* Et hoc Luc.11. *Ecce plùs quàm Salomon hîc.*

Volunt ſimul fideles ſeu Chriſtiani eſſe, & de rebus ad victum & amictum pertinétibus nimiam curam gerere, quod eſt impoſſibile. Sic enim Chriſtus ipſe docet Mat. 6. & Luc.12. *Si fœnum Deus veſtit, quantò magis vos puſillæ fidei? Nolite ergo ſoliciti eſſe dicentes; Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes mundi quærunt* (ſive infideles, paternam Dei providentiam non credentes) *Pater autem veſter ſcit, quoniam his indigetis. Nolite ergo ſoliciti eſſe in craſtinum.* Huic Chriſti monito quo modo parendum ſit, S. Ignatius & Xaverius exemplo ſuo Ieſuitas docuerunt: *Ignatius* enim *Hieroſolymam profecturus nec viaticum, nec comitem admittere voluit, quod à divina providentia pendere vſquequaque cuperet. Perſpiciebat enim, ſi peregrinanti ſibi adverſi quippiam eveniſſet, fieri non poſſe, quin aliqua ſaltem ex parte comitis præſidio fideique confideret: proinde quicquid in eo ſpei locaſſet, id utique ex ea detractum iri fiducia, quam totam in uno Deo clementiſſimo parente ac rectore vellet eſſe repoſitam,* ut auctor eſt in

eſt in vita ejus Maffeius, qui pariter de Xaverio ſcribit: *Omne commeatus & viatici genus in Indias ad prædicandum Chriſtum profecturus rejecit, cùm ita diceret: Suſcepto paupertatis voto, & unius Dei cauſam agenti ſibi nequaquam eſſe de craſtino laborandum.* Quis jam non videat, quàm longè hodierni Ieſuitæ à Ieſu & Ignatij cùm doctrina, tum exemplo deſciverint, ut ſive Gentilium, ſive Phariſæorum nomẽ multò meliori jure, quàm Chriſtianorum aut Ieſuitarum in eos conveniat, ſi tamen fas putamus S. Auguſtino credere, cujus verba ſunt in libro de Eleemoſyna: *Tu Chriſtiano, tu Dei ſervo, tu bonis operibus dedito, tu Domino ſuo caro aliquid putas defuturum? An putas, qui Chriſtum paſcit, à Chriſto ipſo non paſcitur? An putas terrena deerunt, quibus cæleſtia & divina tribuuntur? Vnde hæc incredula cogitatio? Vnde impia & Sacrilega iſta meditatio? Quid facit in domo Dei perfidum pectus? Quid qui Chriſto* OMNINÒ NON CREDIT, *appellatur & dicitur Chriſtianus? Phariſæi ſibi magis congruit nomen.*

Volunt ſimul divites fieri, & non incidere in laqueum diaboli, quod eſt impoſſibile. Sic enim docet Paulus 1. Timoth. 6. *Veritate privati ſunt, qui exiſtimant quæſtum eſſe pietatem. Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus. Nam qui volunt divites fieri* (id

eſt qui ex miniſterio Eccleſię plus petunt quàm alimenta & tegumenta) *incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Et Salomo Prover. 28. *Qui feſtinat ditari, non erit innocens.*

Volunt ſimul in Aulis Principum ſe calefacere, & Chriſtum non negare, quod eſt impoſſibile. Exemplo eſt Petrus, qui quamvis eſſet Princeps Apoſtolorum, & Beati appellatione ab ipſo Chriſto honoratus, poſtquam tamen cum Aulicis adſedit ad ignem & calefecit ſe, ter Chriſtum negavit. Quo exemplò Claudius Aquaviva Ieſuitas omnes terreri voluit in ſua *Inſtructione pro Superioribus ad augendum in Societate Spiritum* cap. 5. pag. 38. Et propter negandi Chriſti periculum, ſecundæ Congregationis Generalis Canon Ieſuitas Aulis omnibus exeſſe ſic jubet: *Nec Principibus, nec Dominis aliis ſæcularibus aut Eccleſiaſticis aſſignari debet aliquis ex noſtris Religioſis, qui Aulas eorum ſequatur, & in eis habitet, ut Confeſſarij, aut Theologi, aut alio quovis munere fungatur, niſi fortè ad perbreve tempus unius vel duorum menſium.* Similiter in libro, qui inſcribitur *Inſtructiones ad Prouinciales & Superiores Societatis*, Inſtruct. 14. pag. 86. caput ſeptimum hoc eſt: *De cautela adhibenda, ne Principum ac Magnatum Aulæ noſtris obſint. Satis proſpe-*

proſpectum fuerit, ſi mala præveniantur, cùm apparent futura, & præcidantur initiò familiaritates iſtæ cum Principibus, antequàm adoleſcant & radices agant, quæ Societati noſtræ, niſi fortiter obſiſtamus, grauiter minitantur, præcipuè cùm Superiores connivent.

Volunt ſimul turbari erga plurima, & optimam partem eligere, quod eſt impoſſibile, velut Marthæ & Mariȩ exemplo, & Chriſti ipſius ſententiâ docemur: Luc. 10. *Martha excepit Ieſum in domum ſuam, & ſoror ejus Maria ſedebat ſecus pedes Domini ut audiret verbum illius. Martha autem ſatagebat circa frequens Miniſterium, & ait; Domine, non eſt tibi curæ quòd Soror mea relinquit me ſolam miniſtrare. Dic ergo illi, ut me adjuvet. Et reſpondens dixit illi Dominus, Martha, Martha, ſolicita es & turbaris erga plurima. Porrò unum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Similiter Ieſuitæ ſunt ſatagei & negotioſi, turbanturque circa plurima; & de Monachis queruntur, quòd otioſi deſideant ſibi tantū ac Dèo vacantes, & nullum pro Hæreticorum converſione & Catholicorum perfectione laborem capientes. Sed in eo ſive ipſi plurimùm falluntur, ſive alios ſaltem fallere conantur. Monachi enim optimam partem elegerunt, aſſiduam nempe divinæ pulchritudinis contemplationem, per quam cùm

ipſi plus perficiuntur & amore Dei magis inflammantur, tùm proximos juvandi longè majorem voluntatem & facultatem, quá Ieſuitæ, conſequuntur. Cùm enim ex adſpectu amor exiſtat, quo plus quis Deum contemplatur, tantò plus Deum, & illius causâ imagines & filios ejus, ſive proximos amat & adjutos atque ad imaginem Dei reformatos cupit. Cumque quo plus quis Deum amat, tantò plus ab illo diligatur, ſic fit, ut cótemplativi velut gratioſiſſimi ejus familiares omnia apud illum poſſint, imò etiam ut Deus nihil poſſit contra ipſorum non modò vota ac preces, ſed etiam cogitationes. Exéplo eſt Loth, Geneſ. 19. verſ. 22. Moyſes Exo. 32. v. 10. Ioſue Ioſ. 10. v. 14. Iob Iob. 42. v. 8. Hac de re ſic teſtatur David Pſalm. 9. *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Et Pſalm. 144. *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* Quatuor porrò modis homines Contemplativi proximorum ſalutem & perfectionem adjuvant. Primus modus eſt Oratio cogitata, recitata & cantata. Et hic homines juvandi modus eſt longè cæteris efficacior, ac vel ſolus converſionis, perfectionis & ſalutis gratiam aliis conficit. Iacob. 5. *Orate pro invicem, ut ſalvemini. Multum enim valet* (ad ſalvandos alios) *deprecatio juſti aſſidua*;

aſſidua. Exemplo eſt Stephanus, qui *fecit* quidem *ſigna magna & prodigia in populo, diſputavit* cum omnium Rabinorum doctiſſimis, *ita ut non poſſent reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, qui in illo loquebatur*, viſus fuit *facie tanquam Angeli*, longâ concione in concilio Iudæos docuit & arguit, his tamen modis omnibus nihil apud Paulum profecit, ſed poſtquam velut homo Contemplativus *vidit gloriam Dei*, & pro perſecutoribus oravit, converſionis & perfectionis gratiam Paulo impetrauit Act. 6. & 7. Sic Epaphras ſuis orationibus perfectionem Coloſſenſibus obtinere ſtuduit, de quo Paulus Coloſſ. 4. *Epaphras ſervus Chriſti ſemper ſolicitus eſt pro vobis in orationibus, ut ſtetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei. Teſtimonium enim illi perhibeo, quòd habet multum laborem pro vobis.* Sic diſcimus, Contemplativos minimè otioſos eſſe, ſed multum pro aliorum ſalute & perfectione laborem capere, quod tamen Dillingenſes Ieſuitæ negant, quos S. Auguſtinus in libro de moribus Eccleſiæ ita confutat: *Videntur nonnullis res humanas plus quàm oportet deſeruiſſe, non intelligentibus, quantum nobis animus eorum in orationibus proſit, & vita ad exemplum, quorum corpora videre non ſinimur.* Sed nemo luculentiùs illud Dillingenſium mendacium convincit, quàm clari nominis Ieſuita Ludovicus de

Ponte, cujus verba ſunt Tomo 3. de Perfectione, Tract. 4. cap. 3. §. 3. *Neque oratio dat ſolùm verbis & exemplis Religioſorum efficacitatem, ſed ipſa etiam* SOLA *potens eſt hanc apud Deum vocationem impetrare. Et quamvis ipſi in Eremo verſentur, nec habeant conſuetudinem cum ſæcularibus hominibus, nec ab eis videantur, poterunt ſuis orationibus à Deo obtinere, ut pulſet tangatque multorum fidelium corda, ut ad ſuam familiam augendam ac dilatandam accedant. De S. Dominico ſcribitur, quòd petẽtibus ſuis Monachis oraverit Deum, ut Magiſtrum quendam Reginaldum ad ipſius Ordinem vocaret, & cùm nec verbo cum eo hac de re actum eſſet, ſequenti tamen die venit Reginaldus, & petiit Ordinis illius habitum.* Secundus modus, quo Contemplativi proximorum ſalutem adjuvant, eſt Evangelizatio operis, ſeu plenitudinis & virtutis multæ, quæ eſt muta prædicatio, hoc eſt vitæ & cõverſationis ſanctitas, ſignum Dei, ex quo miniſtri ejus velut ex manu aut chirographo Dei, à Gentilibus & hæreticis cognoſci poſſunt: de quo ſermo eſt Pſalm 67. *Dabit verbum Evangelizantibus virtute multâ.* Et Act. 4. *Apoſtoli virtute magnâ teſtimonium reddebant Chriſto.* Et 1. Theſſ. 1. & 2. *Introitus noſter ad vos non inanis fuit: & Evangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantùm, ſed in virtute & in Spiritu Sancto, & in plenitudine multa.* Et Iſa. 66.

Aſſu-

Aſſumam ex eis in Sacerdotes & Levitas, & ponam in eis ſignum, & mittam ad Gentes, & annunciabunt gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres veſtròs de cunctis gentibus, & cognoſcetur manus Domini in ſervis ejus. Hoc ſignum Dei exhibuit Paulus in carne ſua, & ſic homines movit, ut antequàm ullum eis verbum loqueretur, jam ei crederent tanquam Angelo ſeu Legato Dei. 2.Corint.12. *Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſupra vos in omni patientia.* Galat.4. *Scitis quia per infirmitatem carnis*(ſive per paſſiones in corpore meo) *evangelizavi vobis priùs, & experimentum mei in carne mea non ſpreviſtis, ſed ſicut Angelum Dei recepiſtis me.* 1.Theſſ.2. *Scitis introitum noſtrum ad vos, quia non inanis fuit, ſed multa antè paſſi & contumeliis affecti fiduciam habuimus loqui ad vos Evangelium.* Hujuſmodi ſigni exhibitio ac multa evangelizatio longè efficacior eſt, quàm verbi prædicatio, ac propterea multò meliùs de aliorum ſalute meretur, qui opere prædicat, *mortificationem Ieſu & ſtigmata Chriſti ſemper in ſuo corpore portans* (2.Corinth. 4. Galat.6.) quam qui voce fidem Chriſti prædicat. Talis enim muta, ſed potens prædicatio eſt Lux magna, quam etiam illi vident & intelligunt, qui procul in umbra mortis ſedent, cùm prædicationem vocis animales homines non intelligát ac pro ſtul-

titia habeant (1.Corinth.2.) Itaque qui opere & converſatione prædicat, etiam ſine verbi prædicatione homines ad Chriſtum poteſt convertere. Sic enim perſpicuè docet Petrus: *Si qui non credunt verbo, ſine verbo lucrifient conſiderantes ſanctam converſationem veſtram.* 1.Petr.3. Et iterum 1.Petr.2. *Converſationem inter Gentes habete bonam, ut ex bonis operibus vos conſiderantes glorificent Deum in die viſitationis* ſeu converſionis *ſuæ.* Atque hunc hujuſce prædicationis effectum Chriſtus prædixerat Matth.5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Ita planum eſt, Monachos Contemplativos, ex Regulæ ſuæ præſcripto viventes, & Apoſtolorum vitæ aſperitatem imitantes, longè hominibus utiliores eſſe, quàm quorum inanis eſt introitus, quique ſine tali ſigno & ſine experimento ſui in carne ſua fiduciam habent loqui hominibus Evangelium. Tertius modus, quo Contemplativi hominum ſalutem & perfectionem adjuvant, eſt prædicatio calami ſeu ſtyli, longè generalior & diuturnior prædicatione vocis. Nam per eam omnes populi, atque ipſi etiam eorum Doctores, plus quàm uno ſæculo docentur. De hac legimus Iſai.30. *Scribe ſuper buxum, & in libro diligenter exara illud, & erit in die noviſſimo*

ſimo in teſtimonium uſque in æternum. Et Hab.2. *Super cuſtodiam meam ſtabo, & contemplabor, ut videam quid dicatur mihi* (ſive *ut audiam quid loquatur in me Dominus Deus*, Pſalm.84.) *& quid reſpondeam ad arguentem me. Et reſpondit mihi Dominus & dixit, Scribe viſum* (quod tibi contemplanti revelavero) *& explana eum ſuper tabulas, ut percurrat qui legerit eum.* Et Apocalypſ.10. *Accepi librum de manu Angeli, & devoravi eum* (id eſt, ab Angelo revelante in libro ſcribenda didici.) *Et cùm devoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus* (ut vomiturirem, id eſt, in chartam revelata evomere ſeu perſcribere cuperem.) *Et dixit mihi Angelus, Oportet te iterum prophetare Gentibus, & populis, & linguis & Regibus multis.* Nempe Iohannes hodiè quoque prophetat ſeu prædicat illis, qui revelationes ei factas in libro ejus legunt, quomodo & *Iſaias* hodiè quoque *clamat*, teſte Paulo Roman.9. Non eſt ergo dubium, quin plurimi Contemplativi, à Deo ipſis revelata & literis conſignata perſcribẽtes, per os Prædicatorum plurimis ſæculis munere prędicationis fungantur, plurimumque in juvanda hominum ſalute occupentur, ſimiles Seraphinis Angelos multò ſe inferiores illuminantibus. Quartus modus eſt Prædicatio vocis ſeu ſermonis, quâ funguntur etiam Contemplativi ſive ſemper, ſive

quoties hominum neceſſitas poſtulat, aut ſuperiorum juſſus imperat. Itaque Benedictini prædicato Evangelio omnem ferè Europá Chriſto ſubjecerunt, quod ipſi etiam Ieſuitæ confiteri coguntur. Quâ igitur fronte quidam eorum nunc contendunt, Monachos ſibi tantùm ac Deo vacare, proximorum verò ſalutis causâ nihil laboris capere, ac propterea Ieſuitas meliorem partem elegiſſe, quippe quibus propoſitum ſit, non modò ſeipſos, ſed & alios ſalvos facere? At enim jam oſtendimus, idem ipſum non minùs Monachos propoſitum habere; quibus etiam Ieſuitas Regulam ſuam exactiſſimè quamvis obſervantes multis partibus inferiores eſſe, nullo negotio demonſtrari poteſt. Primùm Finis ratione non eſſe eos cum Monachis comparabiles, S. Thomæ auctoritas & ratio facilè perſuaſerit, cujus verba ſunt, Quod lib. 3. quæſt. 6. art. 17 ad 6. *Etſi procurare ſalutem aliorum ſit majus, quàm intendere ſibi ſoli, loquendo in genere: tamen non quocunque modo intendere ſaluti aliorum præfertur ei, quod eſt quocunque modo intendere ſuæ ſaluti. Si enim aliquis totaliter & perfectè intendit ſuæ ſaluti, multò majus eſt; quàm ſi aliquis multa particularia opera agat ad ſalutem aliorum, ſaluti propriæ ſufficienter quidem, non tamen perfectè intendens.* Ieſuitę verò quamvis multa particularia opera agant ad

ſalutem

ſalutem aliorum, propriæ tamen ſaluti ſufficienter quidem, non tamen perfectè intendunt, quippe qui animam ſuam contemplationi non applicent, adeoque adhuc abſint à perfectione caritatis. Vt enim idem Thomas docet.2.2.quæſt.24.art.8. *Quando aliquis ſtudium ſuum deputat ad vacandum Deo & rebus divinis, prætermiſſis aliis, niſi quantum neceſſitas præſentis vitæ requirit, iſta eſt perfectio caritatis, quæ eſt poſſibilis in via, non tamen eſt communis omnibus caritatem habentibus*, quales ſunt Ieſuitæ, ſed boni atque ex formula viventes ſeu Regulam ſuam obſervantes. Et mox artic.9. *Quando homo ad hoc principaliter intendit, ut Deo inhæreat & eo fruatur, hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* Et 2.2.quæſt.182.art.2.ad 1. *Labor exterior* (verſus proximum, ut labor in Eccleſiis & Scholis docendi) *toleratus propter Chriſtum, eſt quoddam ſignum caritatis. Sed multò expreſſius caritatis ſignum eſt, quod aliquis prætermiſſis omnibus, quæ ad hanc vitam pertinent*, SOLI *Contemplationi divinæ vacare delectetur.* Ita perſpicuè docemur Monachorum Contemplationi ſoli deditorum longè perfectiorem charitatem eſſe, quàm Ieſuitarum quantoſcunque labores in Scholis & Eccleſiis docendi propter Chriſtum tolerantiũ, quia ſcilicet Monachi *perfectè & totaliter ſuæ ſaluti*

intendunt, Ieſuitæ verò, ſicut & alij Clerici Regulares (ut quorum merè Activa eſt vita, in multis particularibus proximorum cauſâ agendis occupata) *ſufficienter quidem, non tamen perfectè, nec totaliter ſuæ ſaluti intendunt*, adeoque Sacrificium Deo non æquè gratum offerunt. Vt enim ibidem demonſtrat Thomas: *Quantò homo animam ſuam, vel alterius, propinquiùs Deo conjungit, tantò ſacrificium eſt Deo magis acceptum. Vnde magis acceptum eſt Deo, quod aliquis animam ſuam & aliorum applicet Contemplationi, quàm Actioni.* Nec habent Ieſuitæ, cur eò confugiant, ut ſe glorientur Actioni ſimul & Contemplationi animam ſuam addicere, nec minùs Contemplativos, quàm Activos eſſe. Hoc enim effugium ſic eis idem Thomas 2.2. queſt.81. art.1. ad 5. præcludit: *Contemplativi dicentur, non qui contemplantur, ſed qui Contemplationi totam vitam ſuã deputant.* Ieſuitæ verò apertè ferunt, ſuum Finem eſſe, totam vitam alienæ ſaluti impêdere. Sic enim Dillingenſes in *Iuſta defenſione* ſcribunt pag. 203. *Societas ad eum Finem inſtituta eſt, ut* TOTAM *ſe* (non ſuæ, ut Monachi, ſed) *proximorum ſpirituali ſaluti impendat.* hoc eſt, ut labores exteriores propter Chriſtum toleret, quod multò minoris Caritatis propoſitum eſt, quàm Soli Contemplationi divinæ vacare velle, velut ſibi proponunt Mona-

Monachi, ſuæ ſaluti perfectè ac totaliter intenti. Deinde Mediorum quoque ratione, quibus Ieſuitæ ad proximos juvandos utuntur, longiſſimo intervallo à Monachorum abſunt perfectione, cùm & eorum ad Deum orationes ac preces ſint ſine vociferatione, & prædicationes ſine luce & ſine cruce, ſive, cùm nec *Exultationes Dei* habeant *in gutture*, nec *Gladios ancipites* (verbi ſimul & Operis) *in manibus*, ſine quibus non poſſunt *fieri vindictæ in nationibus nec increpationes in populis, nec alligari Reges*, ſive *in captivitatem redigi in obſequium Chriſti*, Pſalm. 149. & 2. Cor. 10. Primùm enim Orationes eorum non habẽt conjuncta duo Sacrificij genera longè Deo acceptiſſima. Vnum eſt ſacrificium animæ ad contemplationem applicatæ, & propiùs Deo conjunctæ, quod ſacrificium eſt *vociferatio mentis*, etiamſi vox oris nulla audiatur: quomodo Exod. 14. *Dixit Dominus ad Moyſen, Quid clamas ad me?* cùm tamen Moyſes nullam vocem emiſiſſet, ſed nimirũ in homine contemplativo Deus deſiderium & præparationem cordis ejus exaudierat. Hoc autem modo Ieſuitæ clamare non poſſunt, cũ Contemplativi non ſint. Alterum eſt Sacrificium laudis, ſive pſalmodia, aut vociferatio cantus, cujus tantò major vis eſt, quantò plures eâdem amoris divini flãmâ ardentes

id ſacrificium immolant,de quo ipſe Pſalm. 49. *Immola Deo ſacrificium laudis. Sacrificium laudis honorificabit me.* Ab hoc verò Sacrificij genere cuſtodia,conſervatio & ſalus Eccleſiæ militantis dependet,ut docemur Iſai.62. *Super muros tuos, Ieruſalem, conſtitui cuſtodes, qui totâ die & totâ nocte in perpetuum non tacebunt,* ſed ſemper me pſalmis cantandis laudabunt. *Qui reminiſcimini Domini, ne taceatis, & ne detis ſilentium ei* (id eſt, ne ſinatis Deum quieſcere,nec deſinatis aures ejus hymnodiâ veſtrâ pulſare) *donec ſtabiliat & donec ponat Ieruſalem laudem in terra,* id eſt, donec ſtabilis ſit & glorioſus Eccleſiæ ſtatus. Iſai.60. *Occupabit ſalus muros tuos, & portas tuas laudatio.* Sed non Deum modò, verùm & homines Pſalmodia movet , maximaſque ad homines purgandos & perficiendos vires habet, velut S.Iuſtinus Martyr , S. Auguſtinus & S. Thomas diſtinctè oſtendunt, quorum verba videri poſſunt in Apologia pro Monachis adverſus Ieſuitas *Nicolai*, *à Ieſu Mariæ Carmelitæ* propoſit.13.quæ Romę bis edita & nuper Ravenſpurgi invitis & plorantibus Ieſuitis & eorum patronis atque amicis recuſa fuit: vnde diſci poteſt, ipſius Eccleſiæ Romanę judicio Ieſuitarum orationes illis rebus carere,quibus Deus & homines maximè moveri poſſunt , adeoque cum Mona-

chorum

chorum orationibus ſine manifeſta ſtoliditate ne comparari quidem poſſe. Deinde prædicatio Ieſuitarum eſt *ſine Cruce*, cùm victus eorum & amictus nihil ab aliorum honeſtorum hominum more diſcrepet. Itaque ſignum Dei, omnem nempe rerum carni moleſtarum patientiam, & ſui ipſius crucifixionem, aut mortificationem & ſtigmata Ieſu in carne ſua, oculis non exhibent, nec *ſermo eorum eſt in plenitudine multa*, ſed *inanis*, adeoq; debilis & inefficax ad eos, qui verbo nõ credũt, ſine verbo lucrifaciẽdos. Vix proinde effugiũt, quin Sophiſtę exiſtimẽtur, & omnibus ſint odio, tanquã *philoſophâ homines ſentẽtiâ, ignavâ operâ*, in iiſque verũ fiat, quod Eccl.37. ſcriptum eſt: *Et vir aſtutus, multorum eruditor, ſed animæ ſuæ ſuavis eſt. Quia ſophiſticè loquitur, odibilis eſt. Omni re defraudabitur. Non eſt enim illi data à Domino gratia*, alios ſcilicet illuminandi, purgandi & perficiendi. Nec abeſt periculum, ne in eos conferatur illud S. Gregorij lib.7. Moral.cap.12. *Eſſe humiles volunt, ſed tamen ſine deſpectu: eſſe contenti propriis, ſed ſine neceſſitate: eſſe caſti, ſed ſinę maceratione corporis: eſſe patientes, ſed ſine contumeliis. Cumque adipiſci virtutes quærunt, ſed labores virtutum fugiunt: quid aliud quàm exhibere belli certamina in campo neſciunt, & triumphare in urbibus de bello concupiſcunt?* Poſtremò prædica-

tio eorum ſive calami, ſive ſermonis, eſt *ſine Luce*, hoc eſt, ſine revelatione interna Contemplationis, nec *Nova de theſauro ſuo proferunt*, ſed Vetera tantùm, quæ legendis Sacris literis & SS. Patrum ac Monachorum libris & operibus didicerunt, quod memoriæ opus eſt, non Scientiæ à Deo hauſtæ, adeoque imperfectum Prædicatorem arguit, velut diſertim S. Gregorius Magnus docet lib.3. in Expoſit. 1. Reg. 7. ita ſcribens: *Quicquid ſubditis Doctor proponit ad normam rectitudinis, aut de exemplis electorum accipit, aut de doctrina ſacri eloquij, aut ex revelatione interna cõtemplationis. Si ſolùm exempla bonorum noverit, aut ſi ſacræ Scripturæ etiam quis eruditus ſit, & contemplationis revelatione caruerit* (quia ſcilicet Contemplativus non fuit, nec totam vitam contemplationi deputavit) *in ordine prædicationis vir* PERFECTUS NON ERIT. *Dei namque debet eſſe docibilis* (ſive Θεοδίδακτος) *qui ſuſcepto prædicationis officio docere homines cupit.* Atque hoc ipſum Chriſtus nos docet Matth. 13. OMNIS *Scriba doctus ad regnum cælorum* (Omnis Prædicator, quem Deus docuit ut annunciet regnum cœlorum, *fecitque idoneum Miniſtrum novi teſtamenti*, 2. Corin. 3.) *ſimilis eſt homini patrifamiliâs: qui profert de theſauro ſuo noua & vetera.* Qui ergò Nova ſibi primùm revelata proferre non poteſt, ſed

vete-

vetera modò vaticinatur, non eſt Scriba doctus ad regnum cœlorum, nec idoneus Miniſter Novi Teſtamenti, tanquam carens revelatione internâ Cõtemplationis. Quod ipſum Spiritus S. per os Annæ ſic affirmarat 1. Reg. 2. *Nolite multiplicare loqui ſublimia gloriantes*, (Id eſt, *prædicatio veſtra non ſit in ſublimitate ſermonis, nec in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis*, 1. Cor. 2.) *recedant vetera de ore veſtro, quia Deus ſcientiarum Dominus eſt, & ipſe præparat adinventiones ſuas*, nempe hominibus Contemplativis, plus aliis eum diligentibus, ut Paulus docet 1. Cor. 2. *Sapientiam loquimur in myſterio abſconditam, quam prædeſtinavit Deus in gloriam noſtram, quam nemo Principum hujus ſeculi cognovit* (quia *Principes ignorârunt voces Prophetarum, quæ per omne Sabbathum leguntur*, id eſt, verum earum ſenſum nõ intellexerunt, Act. 13.) *nobis autem verum intellectum prophetiarum revelavit per Spiritum ſuum, ſicut ſcriptum eſt, Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Iſtæ adinventiones Dei novæ, nunquam priùs viſæ, nec auditæ aut cogitatæ, non ſunt opiniones aut ſententiæ, aut fidei capita ſive articuli, ſed novi Scripturę ſenſus atque intellectus ſpirituales, quibus Eccleſiæ doctrina jã recepta confirmatur, errores jam damnati

aut damnandi arguuntur, boni mores docentur, vitioſi caſtigantur. Tales ſenſus revelat Deus iis, qui totam vitam Contemplationi & ſacrarum literarum meditationi deputant. Philip.1. & Coloſſ.1. *Oro ut caritas veſtra magis ac magis abundet in ſcientia & in omni ſenſu atque intellectu ſpirituali.* 2.Tim.3. *Ab infantia ſacras literas noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem. Omnis enim ſcriptura divinitùs inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut* PERFECTUS *ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Etſi ergo Dillingenſes Ieſuitæ glorientur, ſuæ Societatis homines majorem, quàm Monachos, à Deo gratiam accipere, & in ſe ipſis EXPERIRI, itaque meliorem partem elegiſſe videri volunt, cùm tamen ſatis jam conſtet, eos Contemplationi totam vitam ſuam non deputare, nec ſacrificium Deo acceptiſſimum offerre, & animæ ſuę ſuaves eſſe, nec eam fame, ſiti, vigiliis, jejuniis, frigore & nuditate affligere, eoque pacto acceptam Dei gratiam non adjuvare, quod tamen Dei Miniſtris faciẽdum eſſe Paulus docet. 2. Corinth.6. eos nec in ordine prædicationis viros perfectos, nec ad omne opus bonum inſtructos eſſe, ſed multis rebus, quę Monachis adſunt defici nemini porrò dubium eſſe poteſt. Perſpicuè enim de Doctore, qui

talis

talis eſt, Spiritum Sanctum pronunciantem audivimus: *Sophiſticè loquitur: odibilis eſt: omni re defraudabitur. Non eſt enim illi data à Domino gratia.* Quantumvis ergo in ædificanda Dei domo negotioſos ſe præbeant, non tamen aberit, quin ſuo quoque exemplo confirment; quod eſt in Pſalmo: *Vanum eſt vobis antè lucem ſurgere. In vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* Et Sapient. 3. *Vacua eſt ſpes illorum; & labores ſine fructu; & inutilia opera eorum.*

Volunt ſcientes in Monachos veterum Ordinum mentiri, ut eos Patrum ſuorum hereditatibus evertant, nec tamen eſſe falſi teſtes; quod eſt impoſſibile. Vt enim ait Salomo Prov. 14. *Teſtis fidelis non mentietur: profert autem mendacium doloſus teſtis.* Et Prov. 12. *Qui mentitur, teſtis eſt fraudulentus.* Itaque cùm Rex Achab vineam Naboth poſſidere vellet, hereditate Patrum ejus in ſe tranſlata, *ſubmiſſi fuerunt duo viri, filij diaboli, qui ut viri diabolici dixerunt falſum teſtimonium contra Naboth*, quaſi Deo & Regi maledixiſſet, 3. Reg. 21. Similiter Ieſuitę cùm intellexiſſent veterum Ordinum Monachos nolle Monaſteria ſuorum Ordinum à Proteſtantibus recuperata ad Societatem Ieſu transferri, ſed verba illa Naboth ſua facere, *Propitius mihi ſit Dominus ne dem hæreditatem Patrum meorum*

tibi: propterea duos teſtes, viros diabolicos ſubmiſerunt, id eſt, *Iudicia duorum Theologorum* Romę & in Aula Cęſaris exhibuerunt, plena mendaciorum in Monachos, quaſi ſceleribus ſuis omnium Hęreſion & calamitatum publicarum cauſam prębuiſſent, ac propterea Monaſteriis ſuis ſpoliari digni eſſent. Quòd ipſum paulò poſt fecerunt duobus libris Dillingę editis, quorum alter *Placida Diſceptatio*, alter *Iuſta Defenſio* inſcribitur: quibus ſi creditur, veterum Ordinum Monachi hodiè quoque tàm nequiter vivunt, ut non modò Monaſteria à Proteſtantibus recuperare non debeant, ſed etiam illis quę adhuc retinuerint, jure pelli poſſint. Sed eos ut viros diabolicos ſceleratè in Monachos mentiri, ipſius Adami Conzen Confeſſione docetur, cujus verba ſunt lib. 6. Politic. ca. 11. *Veteres familiæ Religioſorum priſtinam integritatem rigoremque receperunt, & indies magis magiſque efflorescunt, magnâ ſpe meliorum temporũ, cùm tàm ſancta, fortia, Deo ſacratiſſima* (Monachorum) *pectora caliginoſo ſæculo monſtrent contemnere ſæculi pompas, & ſeſe pro nobis apud Deũ interponant,* quoniam ſcilicet tanquam Moyſes propter ſanctitatem Deo ſunt acceptiſſimi. Deinde Sereniſſimę & ſanctę memorię Princeps Guilhelmus Bavarię Dux falſum illud Ieſuitarum de Monachis teſtimonium

ſuis

ſuis ad fratrem Colonienſem Electorem literis luculentiſſimè refellit; dum ſe velut oculatum teſtem longè aliud compeériſſe totidem verbis teſtatur: *Nuper in Sueviâ majorem partem, & præcipuorum quidem Monaſteriorum meis ipſe oculis tali modo reformata, & in tàm egregio ſtatu vidi; ut magnâ inde lætitiâ cor mihi perfuſum fuerit. Quoties ad ejuſmodi benè reformatum Monaſterium deveni, viſus mihi ſum videre verè priſcam Regulam & veterem Zelum ac pietatem, ſicut ſine dubio ſub ipſa fuit initia, quando fuerunt inſtituta, & ſicut in veteribus libris deſcriptum invenitur.* Has Principis ejus literas in Iuſtæ defenſionis Auctario recitat P. Laimannus Ieſuita, cujus inter alia longè plurima perimpudens eſt mendacium, dum negat Conzenium fateri, quod veteres Ordines priſtinam integritatem rigoremque receperint. Sed hac omni de re diſtinctiùs & vberiùs diſputatum invenies in libello Germanico nuper edito, qui inſcribitur *Actio perduellionis adverſus Ieſuitas iuratos Imperij hoſtes.*

Volunt utilitatis ſuæ cauſa in Pontifice dominandi libidinem incendere, nec tamē eſſe adulatores, quod eſt impoſſibile. Adulator enim *loquitur placentia* (Iſai.30.) & *per linguæ blandimenta decipit* (Prov.28.) quia *eſt conſiliarius in ſemetipſo*; (Eccleſ.37.) ſive id ſuadet, unde ad ſe lucri aliquid rediturum ſperat.

Jam Pontifices velut homines vix poſſunt quin imperio & dominatione gaudeant, ejuſque dulcedine facilè tranſverſo agentur, ut ſe pro Domino gerant, non pro Servo, id eſt, ut in actionibus ſuis *appetitu potiùs agantur quàm ratione, nec priùs conſiderent, quid liceat, quid deceat, quidque expediat.* Quod eorum periculum expendens S. Bernardus ad Eugenium Papam ſcribit 3. de Conſiderat. 1. *Nullum venenum, nullum gladium plus tibi formido, quàm libidinem dominandi.* Dominatùr verò, ſeu pro Domino ſe gerit Pontifex (ut idem Bernardus docet) ſi faciat voluntatem ſuam, non ejus qui miſit eum. Si poteſtate utatur, quam non habet, id eſt, ſi auctoritatem Apoſtolicam ad ea conferat, quæ potiùs diſſipationis & deſtructionis ſunt, quàm ædificationis, verbi gratiâ, Si leges & Canones nullâ vel neceſſitate, vel magnâ Eccleſiæ utilitate ſolvat, aut diſpenſet: cùm Chriſtus ne Apoſtolis quidem ullam poteſtatem dederit, niſi quæ ædificaret, animarumque ſaluti & ſtatui Eccleſiæ conduceret. Jam Jeſuitæ ut opulentis aliquot Monaſteriis potiantur, & in conſeſſu Procerum Imperij locum & ſuffragij ferendi jus Societati, magnam verò amplitudinem & dignitatem Vitellio Patriarchæ ſuo conficiant, ſuadere Pontifici non dubitant, ut poteſtate ſuâ utatur in de-

ſtru-

ſtructionem, utque crudeliter potiùs diſſipet, quàm rationabiliter diſpenſet, hoc eſt, ut pro Domino ſe gerat, ſervumque ſe oblitus leges & Canones contemnat, & jura ſibi nata neget. Hoc autem ut illi perſuadeant, Carnem & ſanguinem auxilio advocant, occaſionem ei oſtendentes propinquos ſuos Monaſteriorum opibus collocupletandi, Si ſcilicet Monaſteria quædam partim eis commendet, ſive in commendam det, partim penſionum annuarum eis præſtandi neceſſitate oneret. Sic enim ſcribunt in Placida Diſceptatione pag. 24. *Cur ægrè ferrent Ordines, quædam Monaſteria commendari Cardinalibus?* Et pagin. 15. *Ex Monaſteriis ſuccurritur Epiſcopatibus: dantur Commendæ benè meritis & accipiuntur. Quod ſacrilegio deputare eſt hominis leges ignorantis:* id eſt, Nequaquam legibus vetitum eſt, Monaſteria in alios, quàm quos conditores voluerunt, uſus convertere, & Cardinalibus in prædam dare, ut in bonis dies ſuos ducere, & vectigalibus ſacris aucti familiam numeroſam alere, ſumtuumque dapſiliter factorum profuſione vel magnos Principes provocare poſſint. Odio cum ſua religione ſeu ſcrupuloſitate dignus eſt, qui opes, Dei cultui & pauperum alimoniæ conſecratas, ſine ſacrilegio putat nec dari in tàm profanos

uſus,nec accipi poſſe. Quis autem iſtâ Ieſuitarum cantilenâ non agnoſcat Pontificis conſtantiam tentari, ut conſanguineorum caritate victus & labefactatus Sacrilegij ſocietatem cum Ieſuitis coëat? quod ne facere velit, ſic eum divina ſapientia præmonendum & præmuniendum cenſuit Prov.1. *Fili mi,ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis. Si dixerint, Veni nobiſcum,inſidiemur ſanguini*(qui eſt *Panis egentium*, quem in Monaſteriis habent hæreditarium,adeoque *qui panem illum defraudat, homo ſanguinis eſt*, ſive homicidij reus, Eccleſ.34.) *abſcondamus tendiculas contra inſontem fruſtrà* contra Ordinem putà S. Benedicti) *Deglutiamus eum ſicut infernus viventem, & integrum quaſi deſcendentem in lacum. Omnem pretioſam ſubſtantiam reperiemus: implebimus domos noſtras ſpoliis. Sortem mitte nobiſcum. Marſupium unum ſit omnium noſtrûm. Fili mi, ne ambules cum eis: prohibe pedem tuum à ſemitis eorum*, nec velut ipſi Sacrilegio piacularis fias. *Pedes enim illorum ad malum currunt, & feſtinant ut effundant ſanguinem* (ſive,ut panem pauperibus debitum præripiant Monaſteriis in poteſtatem ſuam redactis) *Fruſtrà autem jacitur rete ante oculos pennatorum*. Id eſt, qui oculis utitur & cautus eſt, poſitas ſibi inſidias intelligit,nec ejuſmodi adulatorum ad utilitatem ſuam omnia revocantium ſua-

ſoriis

ſoriis ſe in fraudem illici patitur. Sic oculatum & pennatum eſſe Vrbanum VIII. jactumque à Ieſuitis rete perſpicere & effugere, ſumma ejus eruditio, præcipueque ſacrorum Canonum ſcientia nos dubitare vetát. Primùm enim haudquaquam eum præterire poteſt, Spiritui Sancto & Symmacho Pôtifici cum ſextá Synodo viſum ita fuiſſe, magnum nefas contrahere & grandi ſacrilegio obſtringi Principes, qui tantùm permittunt, nec impediunt bonorum pro expiãdis peccatis Deo conſecratorum in alios uſus converſionem. Decreti Apoſtolici & Synodici verba ſunt: *Valde iniquum & ingens ſacrilegiũ eſt, ut quæcunq; vel pro remedio peccatorum, vel pro ſalute vel requie animarum ſuarum unusquisque Eccleſiæ contulerit, aut certè reliquerit, ab his, quibus hæc ſervare maximè convenit, Chriſtianis & Deum timentibus hominibus, & ſuper omnia à Principibus in aliud transferri vel converti permittatur.* Quantæ ergo iniquitatis Sacrilegium fore putabimus, ſi Pontifex Ieſuitarum ſuaſoriis acquieſcens & obſecundans ſortem cum eis mitteret, omnem pretioſam ſubſtantiam in Monaſteriis involaret, eorum ſpoliis conſanguineorum domos impleret, eoque pacto velut ſignum aliis ad ſacra legenda tolleret? Deinde hoc etiam Pontifex nequaquam ignorare poteſt, Spi-

ritui Sancto & Eccleſiæ ita viſum eſſe, Eccleſias & Monaſteria non poſſe cuiquam commendari, ſive etiam Adminiſtratorio titulo committi, ſine deſtructione gravique eorum atque etiam Eccleſiæ Romanæ fraude ac damno. Sic enim ſancit Lateranenſe Concilium ſub Leone X. celebratum Seſ. 9. cap. 3. *Quoniam ex Commendis Monaſteriorum Monaſteria ipſa tàm in ſpiritualibus quàm in temporalibus graviter læduntur, quippe quorum ædificia partim Commendatariorum negligentiâ, partim avaritiâ, vel incuriâ collabuntur, & indies divinus cultus in eis magis diminuitur: volumus &* SANCIMUS, *ut cùm illa per obitum Abbatum, qui illis præerant, vacaverint, nullo modo poſſint commendari, ſed de perſona idonea eis ita provideatur, ut illis idonei Abbates prout decet præfuturi ſint.* Eadem eſt Concilij Tridentini ſanctio Seſſ. 25. cap. 21. Clementis ſimiliter quinti Conſtitutio Iuri Canonico inſerta omnibus Commendis & Adminiſtrationibus ſecurim hoc modo impingit: *Nonnullis Clericis & perſonis Eccleſiaſticis. Religioſis & ſæcularibus Patriarchales & Archiepiſcopales & Epiſcopales Eccleſias, ac Monaſteria deſtituta Paſtoribus, ſub Commendæ, vel Cuſtodiæ ſeu Curæ, vel Guardiæ aut Adminiſtrationis titulo nomineve notabili duximus perpetuò ad vitam, ſeu ad certi temporis ſpatium committenda. Verùm ad hoc ſub diligenti examine*

dirc-

direximus aciem noſtræ mentis, demumque EVIDENTER *perſpeximus, quod Eccleſiarum & Monaſteriorum eorundem cura negligitur, bona & jura diſſipantur ipſorum, ac ſubjectis eis perſonis & populis ſpiritualiter plurimùm & temporaliter derogatur*(nam opes pauperibus alendis & hoſpitibus ſuſcipiendis deſtinatæ ipſis crudeliter præripiuntur, ut Adminiſtrator vel Cõmendatarius Principis ſplendorem magnâ Aulicorum cohorte, equorum canumque venaticorum numero præſtare, tùm Baccho & Veneri, Diis magnis ſacra pollucibiliter facere poſſit. Animabus verò cùm vivorum, tùm defunctorum multiplex prædicationis, hymnodiæ, ſacrificiorum, aliorumque bonorum operum fructus deperit, cùm multorum Sacerdotum & Monachorum alimenta unius Commendatarij vel Adminiſtratoris avidiſſimis faucibus ingeruntur) *& Eccleſiis ac Monaſteriis redundant ad noxam, quæ dicebantur cedere ad profectum, ac nedum ipſis, ſed etiam Romanæ matri Eccleſiæ, quæ diſponente Domino ipſorum caput fore dignoſcitur & magiſtra, graviora inde futura timentur pericula. Nolentes igitur iis tot & tantis diſpendiis ulteriùs cauſam relinquere, ſed volentes potiùs opportunum ac debitum in hac parte remedium adhibere, omnes & ſingulas proviſiones hujuſmodi per* Nos *(ut præmittitur) factas quibuſcumque cujuſcumque*

Ordinis, dignitatis aut Status, ſed etiam S.R.E. Cardinalibus, quocumque modo vel tempore facta noſcantur, auctoritate Apoſtolicâ ex nunc ex certa ſcientia renunciamus, caſſamus & annullamus, & decernimus de cætero non habere aliquam roboris firmitatem. Sic ipſius Spiritus Sancti ſententiam Conciliorum & Pontificis voce declaratam habemus, uſum Commendarum & Adminiſtrationum EVIDENTER eſſe in deſtructionem, & in gravem fraudem ſeu præjudicium animarum & corporum, nec ſolùm Monaſteriorum, ſed etiam ipſius Eccleſiæ Romanæ. Et tamen audent Ieſuitæ illi, in quorum ore Spiritus immundus loquitur, etiamnum quærere: *Cur ægrè ferrent Ordines quædam Monaſteria commendari Cardinalibus?* Increpet Dominus in te Satan. Præterea probè Pontifex novit, Sacros Canones ſumma cum prudentia ſtatuiſſe, ut nullum Monaſterium cujuſcunque Ordinis ſit, ita mutari poſſit, ut Monaſterium eſſe deſinat, etſi non vetant, quin auctoritate Apoſtolicâ ab uno Ordine Monachorum ad alium Ordinem Monachorum propter aliquam neceſſitatem aut magnam utilitatem publicam transferantur. Scit tamen hoc præcipuum & ſingulare eſſe Ordinis Benedictini, quod Canones permittant quidem, ut aliorum Ordinum Monaſteria propter graves cauſas ad Be-

ad Benedictinos transferantur, ſed generaliter prohibeant, ne ullum Benedictinorum Monaſterium ad ullum alium Monachorum Ordinem quibuſcunque de cauſis transferatur. Cujus privilegij cauſas, quæ plures nec leves ſunt, hoc loco afferre longum ſit. Scit etiam Pontifex, Innocentium III. divini humaniq; juris conſultiſſimum ac verè ſanctum Pontificem, jam docuiſſe, quod auctoritas Apoſtolicæ ſedis non tàm latè porrigatur, ut etiam propter majorem Dei gloriam ex Monaſterio poſſit facere Clericorũ Collegium, immò ne Epiſcopatum quidem, quod tamen longè quovis Ludimagiſtrorũ Collegio præſtantius eſt. Hæc omnia quàm verè à me dicantur, licet cognoſcere ex Innocentij operibus Coloniæ editis, cujus Tomo 2. pag. 93. epiſtola exſtat ad Guilhelmum Cardinalem Rhemenſem Archiepiſcopum, in qua eſt: *Pervenit ad audientiam noſtram, quod ad ampliationem divini cultus & honorem Eccleſiæ Gallicanæ, in caſtro tuo Moſobni in Abbatia eiuſdem caſtri diſpoſuiſti novum Epiſcopatum erigere. Nos ut in prædicta Abbatia Epiſcopatum erigere valeas, liberam tibi concedimus auctoritate Apoſtolicâ facultatem, ita tamen ut ab eodem Monaſterio Monachi nullatenus excludantur: ne fortè venire contra ſanctiones Canonicæ videremur, quibus providâ fuit deliberatione ſtatutum, ut quæ*

SEMEL *Deo dedicata ſunt Monaſteria,* SEMPER *maneant Monaſteria: cùm & hodiè generaliter ſtatuatur, ut* ORDO *Monaſticus, qui in aliquo Monaſterio ſecundùm Benedicti Regulam dignoſcitur inſtitutus,* PERPETUIS *ibidem temporibus inviolabiter obſervetur.* Hîc planiſſimè affirmantem habemus Pontificem, ſe peccaturum contra Canones, ſi etiam propter ampliationem cultus divini & honorem Eccleſiæ ex Monaſterio faciat Epiſcopatum, aut ſi ullum Benedictinum Monaſterium ad alium Ordinem transferat. Et tamen Dillingenſes Ieſuitæ omni vi pugnant, Pontifici nullam legem obſtare, quin etiam Benedictina Monaſteria ad alios transferat, vel in Scholas aut Collegia convertat. Ita ſuæ utilitatis causâ Irregularitatem & ſacrilegium ſuadere Pontifici non dubitant. Sed Pontifex ne hoc quidem ignorare poteſt, jam Cœleſtini III. & ejuſdem Innocentij III. epiſtolis decretalibus ita ſtatutum eſſe, ſi quis Pontifex ex Monaſterio aliquo Benedictinos etiam pertinacis vitioſitatis reos, ejiciat, tùm *Irregularitatem ab eo committi*, cùm id ei facere neque per Canones liceat, nec deceat, nec Eccleſiæ expediat: & Pontificem ejus ſucceſſorem id factum debere *irritare & infringere*, ſeu reſcindere, & Monaſterium illud Ordini reſtituere, alioſque probos

bos ejuſdem Ordinis Monachos ibi introducere. Hac de re Cœleſtini tabulæ videri poſſunt apud Baronium anno 1179. & Innocentij in poſteriore operum ejus Tomo paginâ 142. quas referre hîc nimis longum fuerit.

Volunt eſſe Patres, nec tamen filiis theſaurizare aut impendere, ſed ſibi ab illis theſaurizari: quod eſt impoſſibile. Sic quippe Paulus ſcribit 1. Corinth. 1. 3. & 4. & 2. Corin. 1. 2. 10. 11. & 12. *Cùm eſſem apud vos, & egerem* rebus ad victum & amictum neceſſariis, nulli oneroſus fui, nec à quoquam eleemoſynam petij, ſed *in* OMNIBUS *ſine onere me vobis ſervavi & ſervabo, & cùm tertiò venero ad vos, non ero gravis vobis. Non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos.* (id eſt, non prædico vobis Chriſtum, ut opes veſtras mihi, ſed ut animas veſtras Chriſto lucrifaciam.) *Nec enim debent filij parentibus theſaurizare; ſed parentes filiis. Ego autem libentiſsimè impendam*(ſive impenſas de meo faciam; id eſt; de pecuniis, quas aut ex aliorum voluntariis elemoſynis, aut ex opere faciundo, ſive ex laboribus manuum mearum penes me habuero) *& ſuper impendar ipſe* (vitamque ponam) *pro animabus veſtris, licèt plus vos diligens minùs diligar. Quod autem facio, & faciam* poſthac (ne cuiquã oneri ſim, hoc facio) *ut amputem occaſionem*

eorum, *qui volunt occaſionem* lucri magni ex Eccleſiæ miniſterio faciendi: *ut in quo glorientur*; *inveniantur ſicut & nos* (dicerent ſcilicet. Quod nos facimus, idem & Paulus facit, & iis quibus prædicat oneroſus eſt.) *Nam ejusmodi Pſeudoapoſtoli ſunt operarij ſubdoli; trãsfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Et non mirum. Ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis. Non eſt ergo magnum ſi miniſtri ejus transfigurentur velut miniſtri juſtitiæ: quorum finis erit ſecundùm opera ipſorum. Multi gloriantur ſecundùm carnem, quod Hebræi ſint, & Iſraëlitæ & ſemen Abrahæ. Gloriantur* etiam *in alienis laboribus* & poſtulant videri Patres veſtri, cùm *ego* unus ſim ille, qui *per Evangelium vos genui in Chriſto Ieſu*; *& velut ſapiens architectus fundamentum* in vobis *poſui*, iſti autem *ſuperædificãt*; & non Patres, ſed Pædagogi ſunt. *Nam ſi decem millia Pædagogorum habeatis in Chriſto, non tamen habetis multos Patres.* Et iſti Pædagogi *vocati à Deo in Societatem filij ejus Ieſu, jam ſaturati ſunt, jam divites facti ſunt: ſine nobis* (id eſt, ſine ulla Apoſtolicæ vitæ imitatione) *regnãt: atque utinam regnarent*, nec tyrannidem in vos exercerent, & *dominarentur fidei veſtræ, ambulantes in aſtutia & cauponantes* ſeu quæſtui habentes *verbum Dei*: Et vos tanquam bonæ frugi verveces *ſuſtinetis*; *ſi quis vos in ſervitutem redigit, ſi quis devorat, ſi quis accipit, ſi quis extolli-*

tollitur (ac *magnus Apoſtolus*, immò *ſupra modum Apoſtolus* videri poſtulans præ ſe alios contemnit, ac de me ipſo Chriſti Apoſtolo dicere audet: *Præſentia corporis infirma eſt, & ſermo contemtibilis*) *ſi* denique *quis in faciem vos cædit*, veſtrâque patientiâ non aliter ac ſi adhuc pueri eſſetis abutitur, ſua vobis beneficia in faciem exprobrans, aut pudorem veſtrum in oculis habitantem ſemper poſcendo gravans, ita ut propter dyſopiam ſeu frõtis infirmitatem ei præcidere ac negare nequaquam audeatis. Rurſum de ſe Paulus ita prædicat 1.Corinth.9. *Habeo quidem poteſtatem manducandi & bibendi, & mulierem ſororem circumducendi*, quæ mihi miniſtret. *Dominus enim ordinavit iis, qui Evangelium annunciant de Evangelio vivere. Ego tamen non uſus ſum hâc poteſtate* vivendi de Evangelio & ſtipendium ab iis, quibus prædico, accipiendi: *ſed ſine ſumtu* auditorum *pono Evangelium, ut non abutar poteſtate meâ in Evangelio: & omnia ſuſtineo* (etiam inopiam ſeu defectum rerum ad vitam neceſſariarum) *ne quod offendiculum dem Evangelio Chriſti. Cùm liber eſſem ex omnibus, omnium me ſervum feci, ut plures lucrifacerem.* 2.Theſſ.3. *Non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducavimus ab aliquo, ſed in labore & in fatigatione nocte & die, operantes, ne quem veſtrûm gravaremus. Non quaſi non habue-*

rimus poteſtatem (gravandi auditores) *ſed ut noſmetipſos formam daremus ad imitandum nos.* 1. Theſſ. 2. *Sicut probati ſumus à Deo; ità loquimur: non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra. Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis: neque in occaſione avaritiæ, Deus teſtis eſt: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis. Cùm poſſemus vobis oneri eſſe; ut Chriſti Apoſtoli, facti ſumus in medio veſtrûm; tanquam ſi nutrix foveat filios ſuos* (maximos labores nulla cum gratiæ aut lucri ſpe perferens) *ita deſiderantes* (non veſtra ſed) *Vos, cupidè volebamus tradere vobis non ſolùm Evangelium Dei, ſed etiam animas noſtras, quoniam cariſſimi nobis facti eſtis. Memores enim eſtis laboris noſtri & fatigationis. Nocte & die operantes, ne quem veſtrûm gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei.* Act. 20. ſic idem de ſe Paulus memorat: *Per triennium nocte & die non ceſſavi, cum lacrymis monens unumquemque veſtrûm. Argentum aut aurum aut veſtem nullius concupivi. Ipſi ſcitis quòd ad ea; quæ mihi opus erant &* Sociis *his, qui mecum erant, miniſtraverunt manus iſtæ* (id eſt labore manuum mearum mihi & Sociis victum quæſivi, ut vos Sacerdotes idem facere exemplo meo diſceretis) *Omnia oſtendi vobis, quòd ſic laborantes* OPORTET *ſuſcipere infirmos; ac meminiſſe verbi, quod dixit Ieſus,*

Beatius

Beatius eſt magis dare, quàm accipere. Sed Ieſuitæ, opinor, Paulum cenſent literas neſciſſe; qui inter continuum triennium ſibi & Sociis invidendæ molis Collegium, & tria talerorum millia annua fundis nominibusque depoſita conficere neſciverit, nec multò plus ſententiæ illius, *Diis atque ipſo Iove dignæ* meminerit, quàm ex Timocle Poëta Comico Athenæus recitat: Ἀνόητος ὁ διδοὺς, εὐτυχὴς δ' ὁ λαμβάνων, *Inſcitus eſt, qui dat: beatus qui accipit.* Lectoris verò nunc eſto judicium, utris Ieſuitæ ſint ſimiliores, Paulone Apoſtolo, an Clericis illis Corinthiorum in Societatem Ieſu vocatis, ſed transgreſſis poſtea in Societatem *ejus, qui non eſt*, (Ioh. 18.) ut eſſent miniſtri & Socij Satanæ. Ruſum tamen Lector velim meminerit, plurimos in Societate ab ejuſmodi culpis innoxios inveniri, qui *gemant an doleant ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus.* (Ezech. 9.) quibus iniquum foret Ieſuitæ nomen fraudi eſſe, cũ hic locus ſit ei, quòd Ariſtophanes dixit Comicus: οἱ μὲν ἄλλα τοὔνομα· Βλάπτουσι τοῖς τρόποισιν, ὄντως ὂν καλὸν, *hoc cæteri nomen quidem reapſe pulchrum moribus infamant ſuis.*

Volunt eſſe ſervi Chriſti Eccleſiæ utiliſſimi, & verbis ac libris cum iis, qui reſiſtunt, contendere, quod eſt impoſſibile. Contentio enim & alteratio eum, qui contendit

depravat, alterum adverſus quem contendit irritat & in errore obfirmat, cæteros pro quibus aut coram quibus contendit, multis modis offendit deterioresque reddit, ut ſcilicet vel contendentem pro impatiente ſtultoque habeant, vel de ipſa veritate, pro qua contendit, dubitare incipiant, vel adverſario ejus tanquam plus nervorum habẽti faveant, ſicque à veritate avertantur. Nihil proinde diligẽtius Sermone Dei interdicitur, quàm contentiones & pugnæ verborum, quippe quæ Canem magis referant, quã Ovem. Chriſtus autem cùm exemplo, tum verbo Eccleſiæ miniſtros Ovium, non Canum ſimilitudinem gerere docuit. Iſai.53. *Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & ſicut ovis non aperiet os ſuum.* Iſai.50. Ipſe de ſe hoc modo prædicat: *Dominus dedit mihi linguam pædiæ ſeu diſciplinatam, ut ſciam opportunè loqui laſſo verbo. Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico* (adverſariis meis, ſed patientiâ eos vinco, nec vereor, ne ſilentio meo videar causâ cecidiſſe, aut ingenio, doctrinâ aut eloquentiâ inferior victuſque diſcedere. Hac enim patientiâ meâ & falſæ infamiæ contemtu Deum mihi facio commilitonem, adeoque certus ſum, adverſarios meos propediem victum iri prorſusque interituros.) *Corpus meum dedi percutientibus, &*

genas

genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus & conſpuentibus in me. Dominus auxiliator meus, ideò non ſum confuſus. Iuxta eſt qui juſtificat me, quis contradicet mihi? Stemus ſimul. Quis eſt adverſarius meus? accedat ad me. Ecce omnes (adverſarij) *quaſi veſtimentum conterentur, tinea comedet eos.* Ejuſdem Chriſti verba ſunt, quæ Pſalm. 37. legimus: *Qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates & dolos totâ die meditabantur. Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum: & factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones, quoniam in te Domine ſperavi,* te cauſæ tuæ minimè defuturum, etiamſi ego dolis & vanitatibus inimicorum nihil reſpondiſſem. De Chriſto etiam Deus Pater Iſai. 42. iſta prænunciat: *Ecce ſervus meus, in quo complacuit ſibi anima mea. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus. Non erit triſtis, neque turbulentus, ut aperiat oculos cæcorum, & educat de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris,* quo docemur, manſuetudinem medium ſive adjumentum eſſe, ad homines à caligine errorum ad lucem veritatis perducendos; ſed Stentoreos illos Ieſuitarum in Scholis boatus, vix homini, qui ruſticorum ſit, decoros, ſimiliterque libros maledictis, cavillis & amaris in adverſarios hi-

ſtoriis refertos eſſe ab ejus perſona, in quo Dei anima ſibi complacuit, & ab hominum ſalute alienos. Mat. 10. & 11. & Luc. 21. Chriſtus Miniſtros ſuos à Canina iracundia, impatientia & maledicentià ad manſuetudinem erga Lupos præſtandam hoc modo revocat: *Ecce ego mitto vos* (non ſicut Canes moloſſos, dentatos, mordaces & voraces, ſed) *ſicut Oves in medio Luporum. Diſcite ergo à me, quòd mitis ſum & humilis corde. Eritis odio omnibus propter nomen meum. Si me patremfamiliâs Beelzebub vocaverunt, quantò magis vos domeſticos meos? In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Sive, ut Iſai. 30. dictum fuerat, *In ſilentio & in ſpe erit fortitudo veſtra.* Iacob. 3. *Quis ſapiens & diſciplinatus inter vos?* (quis habet linguam diſciplinatam inſtar Chriſti?) *Oſtendat ex bona converſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ. Quòd ſi Zelum amarum habetis, & contentiones in cordibus veſtris: nolite gloriari & mendaces eſſe adverſus veritatem* (ut dicatis, vos Dei ſervos eſſe, quibus ipſe dederit *ſpiritum* ſuum, *& os ac ſapientiam, cui non poſſint reſiſtere & contradicere omnes adverſarij veſtri*, velut daturum ſe promiſit Luc. 21.) Nõ eſt enim iſta contentioſa veſtra *ſapientia de ſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim Zelus & contentio, ibi inconſtantia & omne opus pravum.* 1. Corinth. 3. *Cùm ſit Zelus &*

lus & contentio inter vos, nonne carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis? 2. Tim. 2. *Noli contendere verbis. Ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium. Profana & inaniloquia de vita* (nec altercãdi occaſionem præbe adverſariis, ut ea præſentibus aliis aut legentibus, argumentis defenſa probabilitatis ſpeciem acquirant) *multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum ut cancer ſerpit*, multoque plures corporis Chriſti partes corripit. *Stultas & ſine diſciplina quæſtiones devita* (nec ad diſputationem admitte) *ſciens quod generent lites. Servum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, didacticum ſeu docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati, ſi fortè Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.* Sic docemur, ut Hæretici ad veritatis cognitionem reduci poſſint, neceſſarium eſſe, ut Doctor ſit Didacticus & patiens, non Eriſticus aut Contentioſus. *Didacticus* eſt, qui docet, hoc eſt, cujus finis eſt mentem informare, ut ſciat: & impellere voluntatem, ut faciat. *Eriſticus*, qui contendit, hoc eſt, cujus finis eſt vincere, nec aut cauſâ aut ingenij vel doctrinæ opinione inferiorem videri. Hic Impatiens eſt, nec æquo fert animo, ut ipſe credatur nihil adver-

ſario reſpondere potuiſſe. Sic quippe rationem putat: *Si nihil reſpondero, credent homines, me non poſſe cauſam meam defendere, nec adverſario parem eſſe.* Itaque ſuam, non Dei cauſam agit. Nam Dei cauſa non niſi linguâ πεπαιδευμένη ſeu diſciplinatâ aut benè moratâ, manſuetudine & patientiâ defenditur, eſtque in ſpe & ſilentio fortitudo eius. 2. Timoth. 4. *Erit tempus cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi Magiſtros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Quid autem ſervo Dei faciendum ſit, ne tales Magiſtri fabulas ſuas hominibus perſuadeant, ita præmonſtrat: *Tu* ergo *vigila, in omnibus labora, miniſterium tuum imple, opus fac Evangeliſtæ, prædica verbum, argue, obſecra, increpa in* OMNI *patientia & doctrina. Patientia* enim *opus perfectũ habet*, ut ſervi Chriſti *ſint perfecti & integri in nullo deficientes*, ait Apoſtolus Iacob. 1. ac proptereà Patientiam Paulus ſignum Apoſtolatus vocat 2. Corint. 12. *Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſupra vos in omni patientia.* Et 2. Corinth. 6. *Exhibeamus nos ſicuti Dei Miniſtros in multa patientia, per infamiam* (ſine culpa ulla noſtra) *& per bonam famam, ut ſeductores, & veraces.* Id eſt, etiamſi adverſarij nos infament tanquam mendaces & impoſtores, nos tamen minimè decet

id im-

id impatienter ferre, & mendacij culpam in eos retorquere, ſicut Ieſuitæ in omnibus ferè libris unicè ſtudent, ut ipſi nihil unquam mentiti videantur, ſed mordentes ſe ſtrenuè remordent. In hanc ſemper ſententiam reſpondentes: *Tu mentiris per gulam, & à ſpiritu immundo agitaris. Mendax & infamis nebulo mihi eris, donec quod de me aut de Societate ſcripſiſti docueris aut probaveris.* Et huc ferè tēdunt omnes Ieſuitarum libri, quos in Adverſarios ſuos emittunt: quia ſcilicet verentur, ne velut edentuli & ignavi Canes eſſe & offa priventur, & nulla nova Collegia, nulla opulenta Monaſteria, nulla uncta patrimonia poſthac ſibi conficere poſſint, niſi velut furioſi moloſſi mordicus alios invadant. Chriſtus quidem Iohan. 8. cùm atrociſſimam ei injuriam Iudæi hoc modo feciſſent: *Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & Dæmonium habes?* nihil aliud reſpondit, niſi hoc: *Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico Patrem meum: & vos inhonoratis me.* Hoc erat uti *linguâ pædiæ, & non contradicere.* De Samaritano nihil reſpondet, quamvis majoris id eſſet infamiæ, quàm ſi quis ullum Ieſuitam Pæderaſtam hodiè diceret. Quod ſi Ieſus ex Societate Ieſu fuiſſet, Deum immortalem, quid ille non egiſſet, ut Iudæos in eo mētitos eſſe, & injuriam ſibi inſignitè

factam privatis publicisque tabulis luculentè vinceret? Miſiſſet ſcilicet ad Centurioné illum in Capharnaum, cujus ſervum curaverat fidemque prædicaverat, ut velut homo Romanus nomina Ioſephi & Mariæ matris ſuæ in commentariis Actisque publicis profeſſionis Cyrino præſide factæ inquirenda, ejusque rei teſtimonium auctoritate publicâ faciendum curaret. In Nazareth etiam Vrbe ſua complures teſtes, quibus ipſe à puero, & parentes ac propinqui notiſſimi fuiſſent, jurejurando adegiſſet vera comperta dicturos, quibus ſe Iudæum, Iudæis natum, non Samaritam eſſe comprobaret. Ac ne quis hanc ejus in revincendo mendacio tam aperto diligentiam velut putidiuſculam planeque otioſam & ſupervacuam irrideret, brevioriſque ac neque in falſa infamia, vel ſugillatione potiùs ſatis firmi ac patientis animi argumentum putaret, libro Dillingæ aut Ingolſtadij edito demonſtrandum ſuſcepiſſet, *ad majorem Dei gloriam* magnoperè pertinere, ne ipſum homines Samaritanũ crederent, ejusque doctrinam auribus reſpuerent, & aſpernarentur. Sic inquam feciſſet, ſi Ieſuita, non Ieſus fuiſſet, *cujus cor* (ut ipſe de ſe Pſal. 68. profitetur) *improperium expectabat & miſeriam*, paratusque erat *dare percutienti ſe maxillã, & ſaturari opprobriis*, Thre. 53.

Itaque

Itaque *cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur*, (1.Petr.2.) quemadmodum Ieſuitas facere videmus, qui unũ maledictum decem aliis remunerantur, & malam rem magnam, Pontificis præcipuè Cæſariſque animadverſionem eis comminantur, quemadmodum vel in Dillingenſium *Iuſta defenſione* videre eſt, libro omnibus impatientiæ, levitatis, iracundiæ, arrogantiæ & maledicentiæ notis inſigni, quo nihil triviali & ſolutiſſimi oris ſcurrâ dignius à multis jam annis exiiſſe puto, ex quo qui ſola excerpere convicia ac maledicta voluerit, facilè juſtum volumen expleverit, ut minimè dubium ſit, quin hominum iſtorum ferè *terrena, animalis & diabolica ſit ſapientia*, qui tam parùm memores ſe probẽt, quid à ſuis Chriſtus exigat Matth.5. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filij Patris veſtri qui in cælis eſt*. Nimirum ſatis conſcij ſibi ſunt, nullam ſe calumniam ſuſtinere, nec propter Chriſtum, aut juſtitiam à quoquam oppugnari vel perſecutionem pati, ſed propter Singularitatem, quam vocãt, ambitionem & avaritiam, quæ Deo & hominibus, niſi quos aſſentatione ſuâ faſcinarunt, inviſos reddunt, quod Mariana libro de Morbis Societatis cap.19. totidem verbis

confitetur: *Homines ſcandalizantur, murmurant noſque perſequuntur* Non *aliam ob cauſam, quàm quod nos adeò* Singulares *&* Interessatos *vident,* (omnia ſcilicet ad noſtrum emolumentum & honorem referentes, tamque penitùs moribus & inſtitutis noſtris omnium aliorum Religioſorum diſſimiles.) *Multi Ordines Religioſi, poſt noſtrum, aut paulò priùs fundati fuerunt: nihilominus omnes ſimul non ſuſtinent tantam perſecutionem, quantam ſola Societas noſtra ſuſtinet.* Et quia perſecutionis hujus cauſa non eſt Chriſtus aut regnum ejus, minimè mirandum eſt, quòd illi vexatores ac perſecutores maledictis & malefactis ulciſci, eoque pacto metum aliis incutere, ſibi verò ſecuritatem parare tentant. Eſt ergo cur merito ſuo idem, quod eorum majores, à Chriſto audiant: *Vos ex Patre diabolo eſtis, & deſideria Patris veſtri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit. Et vos quæritis interficere hominem* (& Pontifici, Cæſari, Principibus & Epiſcopis inviſum facere) *qui veritatem vobis loquitur,* ut vos Chriſto lucretur, & ab iſta Phariſæorum imitatione abducat. Et tamen adhuc de iſto omnium ferè quà Catholicorum quà Hæreticorum erga ſe odio magnificè gloriantur, ejusque patientiâ mereri ſe putant, ut non modò aliis Religioſis, ſed ipſi etiam Apoſtolo

Paulo

Paulo & Eliæ Prophetæ anteponantur, ut videre eſt in libro, quem Coloniæ Ieſuitæ ediderunt, quemque Nicolaus à Ieſu Maria in Apologia Romæ & Ravenſpurgi nuper edita confutavit propoſit. 48. 49. & 50. Etiam Moguntinæ provinciæ Patres epiſtolâ in Regiam Cæſaris miſſâ in eandem ſententiam ſcribunt: *Novi probè ſanctam noſtram Societatem multos ac potentes ſentire æmulos, invidos, adverſarios: nec malè iis precabor, ominor tamen* (ac tanquam Prophetico ſpiritu, quo Sancta Societas plena eſt, teſtor ac prædico) *fore ut illi poſterique eorum ſentiant Deum ultorem malefactorum: atque utinam nòn cum æternæ ſalutis diſpendio experiantur, ſe divini oculi pupillam*, (id eſt, Societatem) *læſiſſe*. Sic videmus, quomodo eos ulciſcantur, qui ſacrilegæ eorum cupiditati obſtant, Cæſarique ſuadent, ut Monaſteria iiſdem Ordinibus reddantur, quibus ea Proteſtantes ademerant, nec ea invitis conditorum voluntatibus ad Ieſuitas transferri patiatur. Hos Ieſuita condemnat invidiæ & atrociſſimæ in Deum injuriæ, quâ meruerint, ut ipſi & poſteri eorum omnia hujus & futuræ vitæ ſupplicia perſolvant. In eadem epiſtola ſcribunt: *Paucos Romæ amicos numeramus, qui benevolè nos audiant*, ac propterea poſtulant, ut Imperator Monaſterium Claræ vallenſe oc-

cupet, & clàm Pontifice atque omnibus aliis inopinantibus DESUBITO Societati donet, *ne quid Romæ objiciatur impedimenti.* Et adhuc Sacrilegi Sacrilegiorum magiſtri ac ſuaſores ſe inviſos eſſe, ac neque Pontificem & Romanos habere propitios cònqueruntur? *Venit hora* (ſcribunt Moraviç Ieſuitę, ad magni meriti & nominis Antiſtitem) *in qua arbitratur* QUISQUE *obſequium ſe præſtare Deo, cùm de Ieſuitis mala* OMNIA *ſuſpicatur, & ſentit & loquitur. Nec Religioſus penè ullus, nec politicus, nec hæreticus Ieſuitas aut religioſè vivere, aut veritatem loqui exiſtimat.* At enim *Caritas non cogitat malum*, ait Paulus 1. Corinth. 13. & *Sapientia quæ deſurſum eſt plena, eſt miſericordia, & non judicat*, Iacob. 3. Itaque Ieſuitarum judicio vix ullus eſt Religioſus aut Politicus inter Catholicos, qui non pariter cum Hęreticis ignem ęternum mereatur. Qui enim malè cogitat & judicat fratrem, non diligit. *Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt: & omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo manentem*, 1. Iohan. 3. Soli ergo hominum Ieſuitę ſunt digni Chriſto diſcipuli & Caritatem, vitę ęternę pignus habent. Sed Hęretici, Catholici Politici (id eſt, qui non per omnia Ieſuitis obſecundant) Religioſi ferè omnes, & Romani paucis demtis, atque ipſe Pontifex,

tan-

tanquam Caritate erga Ieſuitas vacui, omniaque de ipſis mala ſentientes, nec Monaſteria eis ſuffragio ſuo transſcribentes, ſunt homicidę, & ex patre diabolo, & *ibunt in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus.* Hoc ſpecimen eſto Patientię Ieſuiticę: unde pariter, quanta eorum Sapientia ſit, diluceſcit. Quid enim fieri poſſet dementius, quàm in eo operę ſuam profiteri operam, ejusque conficiendi ſibi provinciam dari poſtulare, cujus inſtrumento maximè neceſſario carerę ſe fateatur? In negotio quippe ſalutis alienę tam neceſſaria eſt Bona Fama, quàm in negotio ſalutis proprię Bona Vita: & ſicut ſine bona vita nemo ſeipſum, ita ſine bona Fama nemo alios poteſt ſalvos facere.

FINIS.

POCO A POCO

TESTIMONIA
I.
DE ANTIQVITATE ET PRIMA FVNDATIONE SOCIETATIS IESV.

1. SOCIETAS Ieſu fundata fuit ab ipſo conceptionis ejus admirabilis momento, cùm univit in una perſona humanitatem ſuam divininitati æternæ. Hec fuit prima *Societas* quam inter homines Deus erexit, cujus primum COLLEGIUM fuit uterus Virginis. *Valderama* in Canonis Ignat. pag. 10.

2. Paulus Apoſt. 1. *Cor.* 1. *verſ.* 9. Meminit Societatis IESU. Fidelis eſt Deus, inquit, per quem vocati eſtis in Societatem Filij ipſius IESU. Et *Iohannes* 1. 1. *verſ.* 3. Vt Societas noſtra ſit cum Patre, & cum Filio ejus Ieſu Chriſto. Quibus verbis, inquit. Pater *Arturus lib.* 5. de Eccleſ. colligitur Societatem Ieſu jam extitiſſe Apoſtolorum temporibus, non novam, ut calumniatur Sadeel.

II. DE

II.
DE B. IGNATIO LOYOLA, ET EIUS SANCTITATE.

1. DE prima illius pueritia id unum cõſtat, haud ita ſeverâ diſciplinâ educatum à ſuis fuiſſe, atque ab ipſis incunabulis, ut in opulenta domo, PROFANOS ADMODUM HAUSISSE SPIRITUS. Deinde literis vix dum à limine ſalutatis, cùm eſſet eximiâ & animi & corporis indole, continuò in Ferdinandi regiam à patre miſſum: Hic ille, cùm honorarios inter Ephebos aliquandiu apparuiſſet, aulicis imbutus moribus &c. Rei militaris tyrocinia poſuit: &, quod iis fermè uſu venit, qui nondum cœleſtes divitias deguſtarunt, id ipſum Ignatio contigit, ut ardenti laudis humanæ ſtudio, & communis conſuetudinis abreptus, cùm eſſet in corporis ornatu elegantiſſimus, equorumque & armorum uſu præcelleret, quod ſibi datum fuerat temporis ad negotiationem ſalutis æternæ, *id ille miſerabiliter, ut plerique mortalium, partim in factionum rixarumque periculis, partim in amatoria væſania, & cætera ſæculari vanitate conſumeret.* Maphæus in vita Loyolę, lib. 1. cap. 2.

2. Deus noviſſimis hiſce temporibus loquutus eſt nobis per filium ſuum Ignatium, quem conſtituit hæredem omnium, cui ad laudis illius faſtigium nihil deeſt, prꝫter hoc verbum, Per quem & ſecula fecit. *Deza* de Canon. Loyolę pag. 12.

3. Cùm primùm propoſuit (Ignatius) apud ſe militarem vitam abdicare, domus in qua tum erat tota contremuit, parietes ejus concuſſi fuerunt, tigna omnia & trabes concrepuerunt: adeò ut quicumque in ædibus eſſent fugam arripuerint, quemadmodum accidit, cùm in aliquo monte ſulphureo, igneus fons aperitur & flammæ exinde erumpere incipiunt. Sic cùm internus ille ignis vim ſuam exerere cœpit, qui anteà juvenis miles in divinis frigidus erat & conglaciatus, ita erupit in flammas, ut mille terrores, mille pavores, mille ædium incendia &c. conſequuta fuerint. Nullus unquã Æthna, aut igneus mons, paria fecit. *Valder. p.* 10.

4. Poſtquam Pontifex attentè conſideraſſet manus Ignatij, nihil aliud eis inſcriptũ & inſculptũ vidit, prꝫter nomen Ieſu, & ſtatim dixit, digitus Dei hic eſt, nihil in iſtis manib. reperio prꝫter digitos Dei. *Vald. p.* 48.

5. Mirum non erat, ſi Moſes maxima ederet miracula, operabatur enim eâ vi ineffabilis nominis Dei inſculpti illius baculo.

Hoc

Hoc valde mirum fuit quod Apoſtoli tot miracula ediderunt, cùm id in nomine Dei facerent. Sed quod Ignatius, cum *nomine ſuo chartulæ inſcripto*, plura edat miracula quã Moſes, & tot quot Apoſtoli, &c. Hoc eſt quod nobis eum reddit maximè admirandum. *Valder.p.51.*

6. Pater Ignatius certiſſimè & promptiſſimè ſuccurrit puerperis, ut rectè animadvertit *Valderama p.51.* Cujus rei cauſam hanc affert, quod vigilans paſtor ſemper oves effœtas comitatur, ut juvet eas in partu, juxta illud Eſaię, fœtus ipſe portabit, hoc eſt curam geret matrum, ut lanam accipiat, nec etiam agnis privetur.

7. Nam ut negotium conficiatur, opus eſt tantùm ſignaculo Ignatij puerperæ ſuper impoſito. Solo enim nominis illius aſpectu, cæcus viſum recuperat, manci manus, claudi pedes; calculi etiam in renibus comminuuntur, & facillimè matres pariunt. *Valderama ibidem.*

8. Accidit quidem, quadam nocte, ut paulũ abfuerit quin Ignatius à diabolo ſtrangularetur, nam cum bis terve, crudeliter admodum verberavit, ait Pater *Valderama pag. 55.* Idem teſtatur *Ribad.lib.5.cap.9.* Dormientem Ignatium ſtrangulare diabolum voluiſſe Romę, anno Domini 1541. Guttur enim

quaſi manu injecta ſtringere, præfocareque conatus eſt, &c. Iohannes etiam qui dormiebat in cubiculo Ignatio proximo, audire ſibi viſus eſt plagarum crepitum, & valentiſſimorum hominum ſtrepitum, quaſi Ignatium diverberantium, ipſiusque Ignatij ſuſpiria. Paulò poſt etiam audivit rurſus graviter pulſari Ignatium cædique.

9. Ignatius à Deo poſitus eſt in Eccleſia, ut ſit Petra fundamentalis tam ſublimis ædificij unde jure dicere poſſumus; nullum eſſe lapidem, id eſt nullam perſonam, quæ, ſi quis valorem & magnitudinem meritorum ſpectat, cum noſtro Ignatio comparari poſſit. *P. Rebulloſa p. 199.*

10. Quemadmodum intingere panem mos eſt in aliquod condimentum, aut in vitrum generoſi vini, illumque deglutiendum exhibere ei qui laborat ἀνορεξία, ſive cibi faſtidio: ita cùm mundus faſtidiret res omnes bonas, noſter Ignatius hoc in ſe ſuſcepit, ut panem verbi Dei diſtribueret, ita præparatum, & intinctum unctione quam Spiritus S. ei communicaverat, ut mundum illicò ad bene faciendi deſiderium revocaverit. *Rebulloſa ibid.*

11. *Ribad. lib. 5. cap. 5.* De S. Ignatio uſurpat quod Apoſtolus dixit de Melchiſedeco, eum ſe geſſiſſe, quaſi eſſet ſine Patre, ſine Matre, & ſine

& ſine Genealogia ; ita ut ne quidem cum ſuis agere vellet de neptis matrimonio.

12. Accidit ei in morte, quod Regibus magnis in terra ſolet. Quandiu Reges ſunt in palatiis ſuis, & ædibus magnificis, prætoriani milites neminem ingredi ſinunt, præter Magnates, his tantùm exceptis qui Domino ſuo miniſtrant. Sed mortuo Rege, eoque delato in atrium ſuum in feretro, omnes liberè accurrunt. Sic vivente Ignatio, nemo potitus eſt Bono eum videndi præter Papas, qualis fuit S. Petrus; Imperatrices, qualis fuit mater Dei, aliquis ſupremus Monarcha, quales Deus pater & Filius. Sed poſtquam mortuus fuit, confeſtim aulici omnes æterni Regis occurrerunt, videndi eum gratiâ. Populus omnis cœleſtis acceſſit, Angelorum, Archangelorum, Thronorum, &c. *Valder. ibid.*

III.

DE OECONOMIA PATRVM SOCIETATIS.

1. CVM boni iſti Patres, commoda ſua quærunt, idem ſibi proponunt Conſilium, cū eo quod Pharaoni Ioſeph ſuggeſ-

ſit, ut copiam frumenti in ſuis horreis coacervaret. Hoc mirabile eſt, quod hoc tempore adeò perverſo & avaro, hi patres noſint & poſſint, abundè quicquid ipſis neceſſarium eſt, extorquere. Non enim fit ſine miraculo, quod cùm homines adeò ſint parci & tenaces, non tamen poſſunt in animũ inducere ut patribus aliquid denegent, aut eorum petitiones rejiciant: quod miraculum conferri poteſt cum eo quod Deus operatus eſt Ægyptiis in favorem populi ſui, cum Iudæis mutuò dederunt, quicquid petierunt, quod totum voluit Deus ipſos auferre. Idem omninò fit horum Patrum reſpectu, quod argumento eſt eos Deo curæ eſſe, & ab eo tenerrimo affectu diligi, quandò qui adeò ſunt avari, tamen libenter & cum animi lætitia patribus iſtis ſubminiſtrant quicquid ipſis neceſſarium eſt. *Dez a de Canon. Ignatij.*

2. Cultellos ſepe acuere faciat. Munditiem ſervet coquus in omnibus quæ ad ſuũ munus pertinent, omnia opportunè paret; carnes, piſces, & alia minimè contrectet, ſed fuſcinulâ, aut cultello ad eam rem utatur. *Reg. coqui.* Ab aliis religioſis ordinibus facilius nos patimur ſuperari jejuniis, vigiliis & cætera victus cultuſque aſperitate. De Virtute Obed. *ſect.* 3.

3 Quo-

3. Quoniam ſicut Angelus qui luctabatur cum Iacobo ei dixit, dimitte me quoniam dies apparet, ut conſideraret ſe multos greges variarum beſtiarum deducere; habere in comitatu ſuo liberos; de paſcuis gregibus providendum,&potum eſſe procurandum: & viro cui tantum incumbebat onus, ſufficere, ſi noctu vacaret contemplationi. Sic poſſibile non eſt, ut diem impendamus Choro, qui gregi debemus proſpicere de paſcuis,& limpidis aquis.

Valder. p.30.31.

Obedientia B. Ignatij.

Teſtatus eſt illum aliquando inſigni exemplo, cum tempore Quadrageſimę ipsâ feriâ ſanctioris hebdomadæ, præſcribente Medico Alexandro, pullo gallinaceo ſe refecit. *Atqui obediendum eſt*, inquiebat. *Maphæus.*

FINIS.

INDEX RERVM MEMORABILIVM HOC volumine contentarum.

I. *Inſtructio Secreta Societatis Ieſu.*

Qualem ſe Societas præſtare debeat, cùm de novo accipit loci alicujus fundationem? 4. Quid factu opus ſit, ut Principum & Magnatum intima familiaritate potiamur? 4. Quid curaturi ſint Domini pro nobis, dum pecuniâ deſtituuntur, multæ tamen ſunt authoritatis in Republica & aliis modis nobis prodeſſe poſſunt? 7. Quæ commendata eſſe debeant Concionatoribus, Confeſſariisque Principum & Magnatum? 9. Quid agendum cum Religioſis, qui ſymbolizando nobiſcum in multis occupationibus, multùm nobis detrahunt? 11. De conciliandis Viduis opulentis Societati? 12. Quis modus conſervandi Viduas in viduitate, & de diſpoſitione redituum, quos habent. 14. De remediis, ut filij & filię noſtrarum devotarum

votarũ religioſum amplectantur ſtatũ. 17. De Reditibus augendis Collegiorum. 18. De diſciplinæ rigore oſtendendo in Societate. 20. Qualiter ſe unanimiter præſtabunt noſtri contra dimiſſos? 22. De delectu juvenum pro Societate, modóque eos retinendi. 24. De Monialibus. 26. De Caſibus reſeruatis & cauſis dimittendi à Societate. 27. Qui conſervari & foveri debeant ex perſonis Societatis. 29. De contemptu divitiarum. 31.

II. Fortunij Galindi Cantabri diſputatio de cauſis publici erga Ieſuitas odij.

Laudes Ieſuitarum. 34. Culpa eorundem. 34. Aulicíſmus Monopolium gratiæ apud Deum & Principes 35. Inſatietas 38. Alij Ieſuitæ apud Indos, alij apud Europæos 39. 40. Cur Ieſuitæ non miracula faciant? 40. An Ieſuitæ doceát gratis 42. 43. Superbia eorum 44. Abuſus gratiæ Principum 44. Curioſitas 45. Procuratoris Ieſuitarum apud Paulum V. gratia 45. Quale Examen puerorum accedentium ad ſcholas Ieſuitarum inſtituatur 48. Periculoſæ ſcholæ Ieſuitarum pueris 49. Imprudentia eorum. Fœminarum confeſſiones apud Ieſuitas cur ſuſpectæ 50. Ieſuitæ nouorum audiendorum cupidi 51. Deſcri-

ptio Ieſuitarum ante quingentos annos 52. Ieſuitæ alicubi in Hiſpania habent equile, ubi prius cuſtodiebatur corpus Chriſti 53. Qui promoventur inter Ieſuitas 56.

III. *Auguſtini Ardinghelli paradoxa Ieſuitica.*

Caput I. continet diffamationem Religioſorum per aſſertionem ſcandalorum 58. II. Deflorationem & relaxationem Religioſorum Ordinum comminiſcitur 59. III. Continet inhabilitatem Religioſorum ad miniſterium verbi & Sacramentorum 60. IV. Religioſos Ordines ſugillat de Virtutum Carentia, deque ipſorum deformatione & numero damnandorum 61. V. Religioſorum Ordinum ſplendorem obfuſcat, extenuando gratiam Martyriorum, miraculorum, viſionum & revelationum, ſimiliterque officiorum & dignitatum, quæ ad Religioſos deferuntur 62. VI. Aſperitatem vitæ Religioſorum & pia exercitia explodit 64. VII. Continet Canones novos antiquis Sanctorum Canonibus contrarios circa qualitatem eorum qui ad Religionem admittendi 65. VIII. Gra-

viſſima

viſſima dicteria contra Veterum Ordinum Religioſos 65. IX. Pontificem Privilegiorum largitorem ſugillat de indiſcretione & ingratitudine 66. X. Continet multa Sanctorum Patrum dicta Eccleſiaſticæ doctrinæ repugnantia. Appendix. Continet alias ſententias ad infamiam, detrimentum & abolitionem atque interitum Veterum Ordinum Religioſorum pertinentes 70. Ezechias & Principes ad Michæam 29. Michæas ad Ezechiam & Principes 93. Carolus Craſſus Imperator 97.

IV. *Bernardini Grialdi pro Senatu Veneto Apologia.*

Iuſtitia Decreti Senatus Veneti 102. *Marianæ* encomium 103. Marianæ calamitas 104. Iudicium ejuſdem de regimine Societatis 105. *Patris Floravantij* confeſſarij Pontificis V. judicium de libro Marianæ. Ejuſdem petitio apud Pontificem 106. Indignatio Generalis Ieſuitarum 106. Baronis cujusdam Scoti Catholici ſcrupulus ſuper effigie Garneti 107 Depoſitio ejuſdem de Garneto 107. 108. Divi Ieſuitarum loco moti à Pôtifice 109

Omina & minæ Ieſuitarum in Pontificē 109. Artificium Ieſuitarum ad inſinuandum Generalem ſuum Pontifici 109. Tyrannis Aquævivæ 111. Ingenium Ieſuitarum 111. Artes miræ Ieſuitarum in alliciendo Virginio Cæſarino 111.112. Ignatius Loyola uſus artibus diaboli 113. Artes Ieſuitarum in cōciliandis Ingeniis 114.115. Commentaria & plagia Ieſuitarum 116. Pontifex ipſe Ieſuitis obnoxius 117. Illicia Ieſuitarum 118. Quale Paupertatis votum edant & ſervent 118.119. Car. Scribanius Spinolæ proxeneta 120. Praxis Ieſuitarū in conquirendis pecuniis 121. Sobrietas & abſtinentia Ieſuitarum qualis 122.123. Artes Ieſuitarum continuatæ in alliciendo Virginio 123.124. Generalis Ieſuitarum regnum Deſpoticum 124.125. xxx. aureorum millia expenduntur quotannis à Ieſuitis in tabellarios 126. Dignitas Generalis Societatis 126. præ Cardinalibus 127. Quale Regimen Societatis 128.129.130. 131.132. Virginij judicium de promiſſo Generalatu 132.133. Aliæ artes in Virginium 133. Detectio fraudis 134. Marianæ liber diu permiſſus deinde prohibitus 135. Quæ circa libros prohibitos in Italia & Hiſpania praxis 136. Marianę judicium de inſti-

tu-

cutione Ieſuitarum in litteris & moribus 138.&c. Ieſuitæ quingenta millia ducatorum ex Catholici Regis Vectigalibus poſſident 140. Marianæ querela de Ieſuitis 140. Solœciſmi & barbariſmi Ieſuitarũ 142.143. Poſſevini impoſtura 143.144. Dictationes Ieſuitarum nimiæ. Cauſa 144. 145. Inexhauſta ſitis Ieſuitarum 145.146. Marianæ querelę 147. Defectus virorum Doctorum 147.148. Damnum Religioſis ordinibus illatum 148.149. Delitiæ Novitiis præberi ſolitę 149. Impenſę Ieſuitarũ 149. Leges contrarię Ignatii 150. Damnoſę Ieſuitarum artes 152. Privilegium peculiare Ieſuitarum ab Ignatio impetratum 152. Injuſtitia maxima in Societate 153. Conſtitutionum Societatis infractio 155.156. Iuſtitia Decreti Veneti 157. Delatores & delaturę in Societate 159. Cauſę cur à Senatu Veneto rejiciantur 159 160. Grętienſis Ieſuitę de Franciſcanis iudicium 160.161. de Monachorum cantu 161. Duplicitas & ſimulationes Ieſuitarũ 162. Æquicationes eorum 163.pertinacitas 163 Marianę iudicium de iis qui circa Generalem 163.164.Ieſuitarum omina & dicteria in Pontificem 164. Curioſitas Ieſuitarum 164. Quod Sacerdotes non concubi-

narij in tribus provinciis 165. Ieſuitarum molitiones ad impediendam viſitationem Pontificiam. Cauſa 161. Villerij Archiducis Confeſſarij artes Suam utilitatem præferunt Pontifici Ieſuitæ 166. Ignea verè Societas 166. Illudit Pontifici. Exemplum 167. Invadit hæreditates aliorum ordinum 167. Læta paupertas & domus quietis Ieſuitarum 168. Audax Ieſuitarum in Bohemia molitio 168.

Cardinalis & Archiepiſcopi Pragenſis iudicium & cenſura Bullæ à Patribus Societatis Cæſari oblatæ.

Argumentum Bullæ Cæſareæ à Ieſuitis conceptæ 171. Finis & prætextus eorum 172. Iudicium Archiepiſcopi 173. Ieſuitæ incurrunt excommunicationem Pontificiam 173. Verba Bullæ 174. Ieſuitarum conatus irritus 178. Bullæ Cæſareę examen 179. Ieſuitę affectant ſummum imperium in Bohemia 181. Faciunt authoritatem Pontificis & Eccleſię ridiculam 187. Eorum ſęvitia erga Archiepiſcopum & Catholicos Bohemię 189. & Benedictinos. Eorum ambitio & dominandi libido 90. Nolunt inhęrere concilio Tridentino. Invadunt Iura Eccleſię 192.

Ioannis

Ioannis Marianæ libri de Regimine Soc-tis Caput VI.

Quo prętextu literas humaniores doceant Ieſuitę 193. Quales ſint Doctores humanitatis.194. Cauſę ſunt barbariei. Ante exortos Ieſuitas conſummati Magiſtri 195. Remedia 196. Pauci Ieſuitę boni Philoſ. & Theologi. Diſcordia eorum & affectatio novitatis 197. Remedium mali 198. Rationes varię [illegible]

Da[illegible] He[illegible]ly Co[illegible]atio [illegible]e cauſis & [illegible] Societatis Ieſu.

Marianę querelę de Tyrannide Aquavivæ 206.207. Floravantij confeſſio 207. Conradi Vetter Ieſuitæ de Societate & Sociis ſermo 208. Ieſuitarum Imperiū Deſpoticum. Vox Imperatoris de Ie[illegible] 209. [illegible] arcenda 210.211. Ignatij [illegible] leges 211.212. Xaverij 213. Avaritiæ excludendæ modus 218. Marianæ judicium de Laicis vel Coadiutoribus Ieſuitarum 216. Æs alienum à Ieſuitis contractum 216. Damna [illegible] ptú [illegible] Collegia [illegible]

æ contenta certis reditibus 218. Vtilitates hujus conſilij 220. Adulationes Ieſuitarum 228. Cupido glorię Ieſuitarum 230. Convitia, Ambitio generalis & Sociorum 236. Confeſſio Aquavivę de ſecularitate & Aulicismo Ieſuitarum 238. Mariana de ambitione Generalis 239. Miſera Societatis gubernatio 242. Leges à Mariana propoſitę tẽperando Imperio Deſpotico generalis 243. Vtilitas illarum 245.

Deliciarum Ieſuiticarum Specimina.

Cardinalis Dietrichſtenij judicium de opera Ieſuitarum 254. Delicię Ieſuiticę Muſicę, Scenicę, Venatorię 255. Bernardini Caſtronij Ieſuitę deſcriptio 256. Ejus pietas & ſpes de futuro 256. 257. Reditus Collegij Romani 257. Delicię in victu Caſtronij 258. Inſtitutiones Caſtronij. Voces ſuperbę contra Cęſarem 259. Maledicta ejus 259. Iudicium 260. Cauſæ conniventiæ Generalis 262. 263. Cardinalis Ludoviſij vox 263. Caſtorij delicię in cantu 265. 266. Exemplum ſingulare 267. Scenicę Ieſuitarum delicię 268. Periculoſum lenocinium Ieſuitarum 268. Incommoda ſcenicarum actionum 269. Corrumpuntur ab illis adoleſcentes 270. Adulationes Ieſuitarum Grætienſium 277. Venationes Ieſuitarum 273. Do-

mus quietis Ebrendorffienſis ad venationes eorum 274. Fraudes Ieſuitarum in decipiendo Imperatore 277.

Divina oracula de Exitu Societatis Ieſu 279. Cauſæ 279. 280. &c.

Teſtimonia de Antiquitate & prima fundatione Societatis Ieſu 334.

De B. Ignatio Loyola & ejus Sanctitate 335.

A01 147 1188

Bi
X